SIVE

EDMVNDVS VRSVLANVS

propter usurpatum judicium de tribunali dejectus:

ET

propter libellum famosum in judicium vocatus.

Per PAULUM HARISIUM *Presb.*

GAL. I. 10.

Si adhuc hominibus placerem, Dei servus non essem.

Anno M.DC.XXXIII.



BODLEIANA · BIBLIOTHECA

EPISTOLA AD LECTOREM.

INcidi (*Lector*) *non ita pridem in libellum quendam verè famosum, licet subsignatum nomine cujusdam* Edmundi Vrsulani *Hiberni, & intitulatum,*

Examen juridicum Censuræ facultatis Theologicæ Parisiensis. Et ejusdem civitatis Archiepiscopi latæ, circa quasdam Propositiones Regularibus Regni Hiberniæ falso impositas. Authore *Edmundo Vrsulano* Hiberno.

Quis autem hic sit Vrsulanus, *nemini est notum, præterquam istis, qui in ijsdem criminibus quibus author participant. Scriptum quocirca illud cujuscunq; fuerit, haud vereor libellum verè famosum nuncupare, juxta illud quod Canones in hac parte decernunt.*

nunt. Vt qui suppresso nomine, aut alio modo subducens se à probatione, alterum in particulari famam & existimationem insigniter ledat, pœnæ & pœnam libellatoris mereatur. Nec eximit à libello qualiscunque subsignatio. Quandoquidem adulterinum nomen perinde est ac nullum apponere, tali enim impostura à legibus semel permissa, falsæ accusationes, pernicioſa mendacia, crimina quæ innocentibus impinguntur, in Authoris caput haud inquam recidi possunt. Num hoc novimus, licet authorem non novimus, quod hic qualiscunq; aut cujuscunq; sit liber, nostris Regularibus apprimè placet, præcipuè verò Cordigeris, à quibus miris laudibus effertur. Imò ne hanc suæ scholæ gloriolam sibi surripi sinant, haud ægrè patentur, ab illorum sinu & cœtu hunc Vrsulanum fœtum prodiisse. Memini in historia esse. Quod Vrsa deformes catulos parit, quos postea lambendo effigiat. Quam verò sit deformis, quibus mendis & mendacijs hæc Vrsulana progenies laborat, & quam in lambenda sua prole nostri Cordigeri negligentes fuerint, lectorem non diutius celabitur. Mihi autem hæc legenti, & Mendaciorum portenta, quæ in hoc uno Vrsulano occurrunt perpendenti, venit illud sæpius in mentem, quod non semel apud Tho. Walsingha-

mum,

virum longè doctissimum, ordinis S. Benedicti,

cti, & in historia magni nominis legi. Imò unde potiùs exordiar, aut filum orationis deducam, quam ab illa emphatica periodo, quam hic non sine magno dolore his verbis effudit.

Mihi quoq; videtur tempora mala non tantum istis imputanda, sed generaliter cunctorum habitatorum terræ peccatis, inclusivè ordines sumendo Mendicantium ad cumulandum causas malorum. Qui suæ professionis immemores, obliti sunt etiam ad quid ipsorum ordines instituti sunt, quia pauperes & omninò expeditos à rerum temporalium possessionibus eorum legislatores viri sanctissimi eos esse ideò voluerunt, ut pro dicenda veritate non haberent quod amittere formidarent, sed jam possessionatis invidentes, procerum crimina approbantes, communi vulgus in errore foventes, & utrorumque peccata comedentes, pro possessionibus acquirendis, qui possessionibus renunciaverant pro pecuniis congregandis, qui in paupertate perseverare juraverant, dicunt bonum malum, & malum bonum, seducentes Principes adulationibus, plebem mendacijs, & utrosque secum in deum pertrahentes. In tantum etenim illam veritatis professionem suam perversè vivendo maculárunt, ut in diebus istis, in ore cujuslibet, bonum sit argumentum, tenens tam de forma, quam de matéria. Hic est fra-

ter: Ergo mendax: Sicut & illud, Hoc est album, Ergo coloratum. Sed ne videamur livore scripsisse præsentia, fateamur nos omnes in culpa, & emendemus in melius quæ scienter peccavimus, & Deum pacis & dilectionis deprecemur attentiùs, ut fiat pax & veritas in diebus nostris. Thomas Walsinghamus in Regno Ricardi 2. fol. 266.

Scripsit hic Author annis ferè abhinc ducentis. Quum verò hæc nostra ætas non sit inferior fraudibus, decipulis, & omne genus impostur is (juxta illud Horatij,

Damnosa quid non imminuit dies?
Ætas parentum pejor avis tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem:) Lib. 3. Od. 7.

Oculos commovete (Lector) in hunc Vrfulanum, & planè dices, Non quicquid Græcia mendax: Sed quid non Cordigeri, audent in historia? Non tamen in me suscipiam omnia quæ in hoc libro sunt prava, falsa, aut distorta redarguere, Illud enim erat Augeæ stabulum purgare. Quid igitur? nisi ut summa sequar fastigia rerum: Et ea quo potero brevitate percurram.

PAULUS HARISIUS Presb.

APKTOMAΣTIΞ,

SIVE

EDMVNDVS VRSVLANVS

propter usurpatum judicium de tribunali dejectus;

ET

propter libellum famosum in judicium vocatus.

Per PAULUM HARISIUM *Presb.*

CAPVT PRIMVM.

PROpositiones quæ fuerunt assertæ, publicatæ & defensæ à non paucis Regularibus Hibernis, potissimùm in Diœcesi Dublinensi, sub Illustriss. Archiepisc. *Tho. Flemmingo*, Ord. S. *Francisci* sunt sequentes.

I. Propos.

Hierarchia Ecclesiastica constat ex Pontifice, Cardinalibus,

dinalibus, Archiepiscopis, Episcopis, & Regularibus.

II.

Sacerdotes sunt meri sæculares.

III.

Regulares sunt veri, & soli Curati, sive Pastores.

IIII.

Regulares possunt ministrare omnia sacramenta, etiam invito Parocho.

V.

Parochiani non tenentur in propria Parochia communicare in Paschate.

VI.

Solis Regularibus competit vocari Patres.

VII.

Ecclesiasticæ Hierarchiæ pars prudentior, selectiorq; sunt Regulares.

VIII.

Superiores Regularium digniores sunt Episcopis, (siquidem dignitas Pastoris petenda est ex conditione sui gregis) quemadmodum Opilio dignior est Subulco.

IX.

Securius & salubrius est peccata Regularibus, quam Pastoribus confiteri.

X.

In partibus Hæreticorum non tenetur populus Christianus necessariam sustentationem suo Parocho subministrare, quia bona Ecclesiastica ab Hæreticis possidentur.

XI.

Privilegia Regularium non potest Papa revocare.

Hæc sunt illa pseudodogmata exhibita, & præsentata

tata in publicis comitijs eximiæ facultati Theolog. apud Sorbonam, an. 1631. à quatuor Ven. Sacerdotibus: *Patricio Cahil, Michaele Cantuell, Iacobo Fallon* sacræ Theologiæ, & *Terentio Coghlan* I. V. Doctoribus Hibernis, & post maturam deliberationem, sententiis 60. Doctorum & amplius reprobata, ut malè sonantia, imò prophanam novitatem & hæresin introducentia: quam censuram postmodùm suis calculis approbavit Ill. Archiepiscopus Parisiensis, cum universo Senatu gravis. Patrum, & Antistitum Archiepiscop. & Episcop. Gallicanæ Ecclesiæ; quibus infensi Hiberni Regulares quendam *Edmundum Vrsulanum* in advocatum & Patronum tandem sunt consequuti, velut alterum *Goliam* ex castris Palæstinorum, qui exprobret agminibus Israel. Hic enim *Vrsulanus* (sibi tripodem erigens) instituit *Examen Iuridicum censuræ facultatis Theol. Parisiensis, imo & ejusdem civitatis Archiepiscopi &c.* Dignus pro talibus ausis (infamis libellator) excipi scuticis, & circa suum Conventum, & per omnia claustra Regularium, in quâ urbe degit, funibus suorũ fratrum flagellari, ut discat Minorita superbire minus, & non ponere in cœlum os suum.

Primo loco, & ante omnia, ægro & iniquo animo fert *Vrsulanus*, quòd hæ tam absurdæ propositiones per censuram Parisiensem nominentur Hibernicæ, cùm in eâdem nihilominus censura dicantur, tantum à quibusdam Regularibus in Hibernia defendi. Et de hoc (quasi inusta mala nota suæ nationi, Catholicæ fidei tenacissimæ) multum querulatur in Epistola sua Proæmiali ad amicum anonymon, ut & aliàs sæpè per libellum.

Sed quid facerent Parisienses? Nonne homo Hibernus Hibernicus est? licet non omni loco in Hibernia natus. Nonne mercimonia quæ exportantur ex

Hibernia, & per alias regiones distrahuntur, Hibernica nominantur? Quid mirum igitur, si hæc malè feriata dogmata (pessimum mercium genus) ea Provincia in qua primò seminata fuerint, & herbescebant, nomen sortiantur? Num gravius peccatur in gentem Hibernicam, (fateor piam, orthodoxam, bellicosam, addo & pro aliis omnibus nationibus tam in exteros quam in suos hospitalem) quam à viris doctis, & scriptoribus ecclesiasticis peccatur in ipsos Gallos, è quorum solo, & glebâ ortos hæreticos appellamus Albigenses, Picardos, Pauperes de Lugduno, &c. licet minimè (proculdubiò) pars Picardorum, Albigensium, & Pauperum de Lugduno hæretici sint. Sed æquiores in hac causa simus *Vrsulano*. Cùm iracundi, simul & sapere paucis detur. At nunquam satis mirari possumus hominem adeò immutari, ut ex levi delirio in extremam dementiam quasi in ictu oculi prorumpat: proximis enimverò lineis, in eâdem epistolâ pag. 4. nullum inveniri posse existimat inter Regulares Hiberniæ, qui has erraticas Propositiones unquam protulerit, aut fateatur.

Dicas *Vrsulane*. Nonne tu ipse & Regularis, & Hibernus es? qui harum erraticarum, in hoc tuo examine mordicus defendis, imò & pleno gutture proclamas, illas non tam esse Hibernicas, quam Pontificias, quam Hispanicas, quam Italicas, quam Gallicas, quam *Nazianzeni*, quam *Cypriani*, quam *Augustini* &c. Agatur tecum oblignatis tabulis. Consulatur ille tuus tam lepidus libellus, *Examen Iuridicum*, Et nihil dubito quin te habebimus confitentem reum.

1. Prima Propositio à te asseritur saltim quoad unam partem, imò & contra Parisienses cum multa bile propugnatur, & defenditur, cap. 4. pag. 64. & in sequentibus.

2. Quarta

2. Quarta Propositio in solidum à te defenditur, pag. 117. & sequentibus.
3. Quinta eidem, pag. 135. & sequentibus.
4. Septima pag. 146. & sequentibus.
5. Nona pag. 156. & in sequentibus.

Propter quod inexcusabilis es ô homo: In quo enim judicas alterum, teipsum condemnas: eadem enim agis quæ judicas. Sed jam conscendamus navim, & trajiciamus in Hiberniam, & ibidem socios tuos, & symmistas salutemus, qui non te præsentem avidius, quàm hoc tuum dulce pignus., *Examen judicum* susci-piunt, charum habent, in sinu refovent, diurnâ, nocturnâq; manu terunt, pro suo *Vade mecum* omni loco retinent. Sola deest illis *Dary* illius magni regis myrotheca, in quâ pro dignitate reponatur. At dicas mihi ingenue & docilis lector: An non qui *Pelagium* laudant, illius scripta probant, dogmata imbibunt, sententijs adhærent, judicio applaudunt, illius scholæ, & sectæ non merito habeantur? non gregi annumerentur? *Non solùm* (inquit Apostolus) *qui ea faciunt; sed etiam qui consentiunt facientibus, digni morte sunt.* Si ergo Regulares Hiberni has Propositiones odissent, proculdubiò te etiam *Vrsulant*, & tua scripta aversati fuissent: cùm (uti præmissum est) quinq; ex illis undecim notatis Propositionibus te patronum exhibuisti, imò doctorem & præconem.

Pergis declamare in Accusatorem, & tres testes, tuos Patriotas suscipiens in te hanc arduam provinciam probare, scil. quòd ab accusatione, & testimonio ferendo fuisse illos de jure repellendos, ubi nimiam facilitatem Parisiensium Doctorum in illis admittendis tuo more perstringis.

Parisienses verò viri docti & cordati perpendentes

illud juris naturæ, & divini: Quòd in ore duorum vel trium testium stat omne verbum; horum venerabilium sacerdotum (quorum tres in ecclesiasticâ dignitate etiam constituti sunt) attestationes in rebus tanti momenti, quanti est extirpatio pravorum dogmatum, & opinionum ex animis hominum Christianorum, repellere, aut recusare haud æquum, pium, aut humanum existimabant, prudenter apud se cogitantes facilius fore morbo venienti occurrere, quàm confirmato mederi. Primus verò horum (quem tu *Vrsulane* ad singulare certamen provocas, & optas tibi dari in quem dentes acuas) est optimus ille, & venerabilis sacerdos non bonis literis magis ornatus, quàm pijs moribus imbutus, D. *Patricius Cahil* S. T. D. In hunc enim talibus infrendis.

Vrsulanus pag. 10.

Inprimis D. *Patricius Cahil* (quem tanquam accusatorem Prefatio censuræ dicit has Propositiones facultati exhibuisse) convincitur multis juris exceptionibus obnoxius. Quòd ut manifestum fiat: Sciendum est in civitate Dublinienſi Lageniæ Metropoli defuncto D. *Thoma Cuile* (Ecclesiæ S. *Michaelis* pastore) in ejus locum ab Archiepiscopo substitutum fuisse D. *Branganum* ejusdem Diœcesis, & civitatis sacerdotem, vitâ & moribus exemplarem, quem cùm sibi prælatū, & post paucos ab institutione dies, ab hæreticis captum, & incarceratum videret, is de quo agitur *Patricius Cahil*, alterius scil. Medensis Diœcesis sacerdos, clam Romæ solicitat, ac procurat Pontificium rescriptum, quo ipse Ecclesiæ S. *Michaelis* Dublinienſis rector instituatur; eoq, rescripto per subreptionem obtento & præsentato Ill. D. Archiepisc. Dublinienſis, non solùm

in

in dictis literis evidentem ſubreptionem (tantâ collatione ab Archiepiſc. alteri facta) deprehendit. Sed & ipſam conceſſionem propter indeterminationem invenit vitioſam. Cùm Dublinij ſint duæ Eccleſiæ S. *Michaelis*, quarum neutram conceſſio Pontificia ſpecificabat; quare Archiepiſcop. declaravit dictam conceſſionem tam propter Eccleſiæ incertitudinem, quam propter ſubreptionem ipſo jure nullam; nec Pontificem ullâ ratione voluiſſe præjudicare *Brangæo*, cui ab Archiepiſcopo fuerat facta collatio, cujus etiam exemplaris vita, & pro catholica fide incarceratio mœrebantur potiùs promoveri, quàm ſuo jure privari.

Arctomaſtix.

Solent pro tribunali Iudices ſæpè admonere teſtes, ut non ſolam veritatem, ſed eam integram exponant. Æquè enim infidus eſt, & mali doli conſcius, qui veritatem reticet, ac qui falſum veris aſſuit, & admiſcet. Quod quidem vitium huic *Vrſulano* ſolemne eſt. Exorſus enim veluti rem ab ovo in principio ſuæ narrationis (quòd pro malo habetur auſpicio) planè ceſpitat. Omittit enim præfari (quòd caput eſt, & fundamentum totius controverſiæ.) Quomodo *Iacobus Talbot* (cujus memoria eſt in benedictione) abſente Archiepiſcopo, & in Medenſi Diœceſi pro tunc (ut ferè ſemper) cum fratre degente, pro poteſtate quam habuit, & exercuit Vicarij generalis ſub Archiepiſcopo; canonicè, & cum aſſenſu totius Parochiæ (nemine reclamante.) Poſt obitum *Thomæ Coyle* viri longè optimi, & vigilantiſſimi paſtoris *Patricium Cahil* paſtorem & rectorem Eccleſiæ S. *Michaelis* urbis Dublinenſis ſubſtituit. In cujus inauguratione pro majore ſolennitate habita erat ad populum concio ſuggeſtum, aſcendente

pastore S. *Audoeni*, qui authoritate prædicti Vicarij generalis hoc idem populo significavit. Huic verò *Patricio Cahil* in pastorem hoc modo renunciato eâdem authoritate, & eodem tempore datus erat in assistentiam & levamen oneris alius ven. presbyter, nomine *Carmucus Higens*, uterq; pius, uterq; doctus erat. Hic lector Logicæ, & Metaphysicæ, ille Philosophiæ & Theologiæ moralis in Collegio S. *Audoeni*, & propter crebras quas ad populum habuêre conciones, utercq; civibus longè gratissimus.

Adveniente verò ad urbem Archiepiscopo, post paucos dies uterq; possessione legitimè, & pacificè habita deturbatur: quorum loco surrogatur *Patricius Branganus* civis ortu Dublinensis. Sed quis ille tandem? Vt natalitia satis obscura prætermittam, homo vix semi-doctus, qui nec rudem plebeculam catechizando instruere nôrit, nec ad populum concionari vix quantum ad exigendum salarium bis in anno sufficiat. Locum tamen hic occupat in urbe primarium, parochiarum spatiosissimam, & præter illam quinq; aut sex alias, quæ in hoc mixto populo, *Augustinum*, *Ambrosium*, aut *Hieronymum* magis desiderarent, quàm hunc (ô tempora) talem.

Sed jam videamus, Quis huic datur in adjutorium ad tanti oneris gestamen. Noli lector Atlanta aliquem arbitrari, ni falli velis, & toto cœlo errare. Ordinarius enim noster associavit huic proto-parocho aliũ presbyterum, *Iacobum Quin*, paulò fateor illo doctiorem, in alijs non multò absimilem, nisi quòd hic est cerebri sive naturâ, sive infirmitate adeò lasû, ut pro siderato tam à Medicis, quàm à vulgo (præcipuè regnante *Sirio*) reputatur. In cujus rei lachrymabile testimonium non ità pridem à parocho missus, ad ministrandum

cuidam

cuidam infirmo viaticum, reliquit à tergo, nec quo loco, aut tempore memor, ſacro-ſanctam Euchariſtiam in varijs hoſtijs conſecratam, unà cum pixide, quas ita miſerè diſperditas, hucuſq; non vidimus recuperatas. Videat D. Archiepiſcopus, & *Branganus*, quo canone aut exemplo hoc poſſunt, aut quomodo non ſint rei maximi contemptus, imò ſacrilegij in S. Euchariſtiam, dum tali periculo indies exponant Dominicum Corpus, hoc quotidiè in altari miniſtrante ſacerdote lunatico.

Sed pergit *Vrſulanus* à perſequtione, ſuum *Branganum* commendare, ac ſi ærumnas fuerit aliquas pro fide paſſus. Sed nobis vicinis, & incolis Dublinij non facile eſt imponere. Captum ab Adverſarijs poſt paucos ab inſtitutione dies hunc *Branganum* concedimus, incarceratum verò vix fatebimur, niſi mandari liberæ cuſtodiæ cum Catholico, & ſibi amiciſſimo viro concive ſuo Dublinenſi ſit carceribus mancipari. Et hoc non pro fide catholica, ut hic vult: ſed hâc omninò occaſione.

Suborta erat controverſia inter pro-regem, & quendam nobilem in cauſâ matrimoniali hinc primò ſimultates, dein verba ſatis utrinq; aſpera, poſt modùm ſtudia partium & factiones. Hic noſter *Branganus* (in colloquio quodam non admodùm privato) oſtendit ſe adhærere partibus pro-regi adverſis, imò petulantia quadam ſub ruſtica, & verborum aculeis impetere magiſtratum (haud quaquam in catholicos malevolum.) Propter quam maledicentiam, (uti principum virorũ longæ ſunt aures) hac moderata (non in ſolidum amiſſæ, ſed in parte tantùm imminutæ libertatis) pœna ad tres plus minus menſes à Pro-rege punitus eſt, quâ expletâ pœnitentia nihil gravius ab illo tempore unquam

quam est passus. Sed ad propositum.

Habes jam (Lector) *Patricium Cahil* loco dejectum, cui hic *Patr. Brauganus* talis, qualem tibi depinximus sufficitur: non tamen in titulum Rectoriæ, sed ad beneplacitum Ordinarij amovibilis. Sed num hâc venerabilis viri *Patricij Cahil* dejectione & obedientiâ contentus est Ordinarius? Minimè gentium. Quin ad nutum Regularium (quibus solis in omni negotio consiliarijs utitur) proscribit innocentem, Etiâ totâ suâ Diœcesi, quem præsentem ferre non potest (indictâ causâ) exulare vult. Quid dico indictâ causâ? Imò nec insimulatum alicujus, vel levissimæ labeculæ per omnem vitam, nihil per contentionem, neq; per inanem gloriam agens, nihil refractoriè, nunquam suo Ordinario obmurmuravit, sed pacificè in his omnibus gerens solùm licita cogitat remedia in tantis malis, & se gravatum sentiens ex hâc amotione à prædictâ curâ & Rectoriâ, tandem rescriptum Pontificium procurat quo (exclusso intrusore) in pristinum locum & Rectoriam S. *Michaelis* (qua nimiâ Rivalis potentiâ prius viduatus erat) postliminio restituatur. At dicit *Vrsulanus*, hoc Pontificium diploma repertum fuisse per surreptionem obtentum, iccircò vitiosum. Quibus exceptionibus non ego, sed summus Pontifex in alio rescripto postmodum obtento, (quod & vidimus, & manus nostræ contrectaverunt) respondet, non surreptionis, vel obreptionis vitio antedictas suas literas, vel aliquo defectu notari, idcirco mandat ut suam vim, roburque quanto ociùs obtineant, nominatq; per cujus manus hæc omnia fiant. Abest autem à vero quantum centrum à circumferentiâ, quòd hic nugator allegat. Nimirùm quod Dublinij sint duæ Ecclesiæ *S. Michaelis*, nullâ nominis distinctione differentiatæ. Hoc dico

quam

quam ſit à veritate alienum, omnes hujus civitatis incolæ ad unum noverint. Vnà enim abſolutè vocatur Eccleſia S. *Michaelis*, altera S. *Michaelis de Poules*. Hæc ſuburbana, & extra muros, illa in urbe ſituata. Hæc à multo tempore in prophanos uſus converſa, in ſolitudine & oblivione ſepulta jacet; Illa ingenti populo omni die freqùentata caput inter nubila condit.

Vrſulanus.

Hanc repulſam paſſus dictus *Patricius Cahil*, in Archiepiſcopum Dublinenſem ex ordine S. *Franciſci*; cæteroſq; ejuſdem inſtituti, & aliorum Ordinum Religioſos excandeſcens, (inter multa odij indicia) libellum infamatorium carmine Anglicano compoſuit, & aliena manu conſcriptum per civitatem Dublinienſem in publicis, privatiſq; locis ſecreto ſpargi curavit, cujus libelli famoſi varia exemplaria per omnium manus divagata Archiepiſcopo tandem ſunt præſentata: charactere cognito, & legitimâ factâ inveſtigatione, dictus *Patricius Cahil* de illius infamatorij libelli compoſitione convictus; poſt maturam deliberationem, & doctorum virorum conſilium ab Archiepiſcopo, tanquam famoſi carminis author & divulgator, à divinis ſuſpenſus eſt, & extra Diœceſin Dublinienſem, tanquam infamis ablegatus, (eâ nihilominùs ſuſpenſione, & ablegationis mandato non obſtante) Dublinij contumaciter inobediens aliquandiu manſit, donec tandem conquiſitis aliquot vicinorum Epiſcoporum de ſuâ vitâ & converſatione teſtimonijs; Pariſios nuper adveniens, Propoſitiones iſtas in odium Religioſorum confictas, facultati Theologicæ Pariſienſi cenſurandas exhibuit.

Arctomastix.

Audio te *Vrsulane*, & observo, imò noto magis quam admiror, quâ tu Libellator audaciâ pergis mentiri. Dum dicis libellum famosum composuisse hunc venerabilem virum *Patricium Cahil* in Archiepiscopum Franciscanum: ad quod refellendum præmittenda sunt quædam, ut scitu necessaria, sic non injucunda relatu. Spectati enim viri casus, ancipitesq; alternantis fortunæ eventus cum securi legimus, nescio quos animi motus haud ingratos cient. Ita enim usu venit, ut quæ ferendo fuerint dura, indigna, & aspera, eorum recordatio delectationem habent non mediocrem.

Accidit enim (Nec abest suspicio à quibus incentoribus) quòd hic D. *Patricius Cahil*, per aliquot menses (ob causam haud erubescendam) à Protestante magistratu, regio carceri erat mandatus. Quippe accusatus á quodam fabro argentario quod curavit, & mandavit sibi fieri sigilla duo, in quibus cœlarentur Insignia Archiepiscopatus Armachani, & Kilmorensis, in usum præsentis Archiepiscopi, & Episcopi: hæc causa, hæc culpa, hoc illi crimen erat: uti autem hic bonus presbyter, tœdia carceris, & longas (quæ solent in tali solitudine esse) moras, & horas falleret, missam ad se cantiunculam quandam à quodam sacerdote sibi multis nominibus amicissimo accepit, cujus inscriptio sive argumentum erat hujusmodi:

Lamentatio peccatoris tam sua, quam aliorum peccata plangentis.

Hanc postquam semel, aut iterùm, animi causâ legisset,

gisset exscribendam cuidam adolescenti dictavit, exscriptamq; repetijt. Num hoc erat publicis,& privatis locis secreto spargere?

Sed quâ fronte dicis *Vrsulane* in Archiepiscopum Dublinensem hanc compositam? cujus nulla fuerit per omne illud scriptum mentio, neq; in individuo, neq; per allusionem. Nullibi hæc vox Archiepisc. aut *Thomæ Flemmingi* nomen in illo carmine insonuit. Sed erat (inquis) libellus infamatorius. Nugaris *Vrsulane*, nisi mihi dixeris cujus existimatio in illo scripto lædatur. Quis infametur, cujus occulta vitia pandantur, aut cui falsa imponantur. Nec moror quod Regulares (infensissimi huic pastori hostes, eò quod Clerum,& Ecclesiasticam Hierarchiam sartam tectam, & salvam semper esse voluit) suis calculis Archiepiscopi sententiam,& censuram approbârunt. Quandoquidem prima sedes (quæ à nemine judicatur,& omnes alios judicat) nihil tale censuit. Imò nec oculatissimi Inquisitorum in urbe judices hoc observârunt. Quis enim te melius noverit *Vrsulane*? Quòd sicut *Paulus* ascenderat Hierosolymam in controversiâ de Legalibus, & sicut *Cephan* consuleratin rebus arduis, ne forsan in vanum curreret aut cucurrisset. Sic hic bonus pastor,& D. *Pauli* æmulator urbem qua poterat celeritate petebat, ut *Petrum consuleret*,& ab illo cognosceret, an fortè aliquid perpetrasset quod tantum famæ dispendium,& ignominiam mereretur: cupiens unius *Petri* judicio, vel absolvi, vel ligari in æternum. Ibi Ignatiani, Cordigeriq; fratres. Imò omnis Regularium militia in unum involant, cœlum terramq; miscent, ut innocentem opprimant. Ibi *Wadding* Cordigerorum primipilus (qui tantùm se in Romana curia posse gloriatur) intonuit altum. Hinc literæ de Flandria, Hibernia, Lovanio, Dublinio

ad urbem mittuntur? Imò ex quo non orbis angulo testimonia eruuntur, urgentur, premuntur? Dum interim hæc Marpesia cautes, hic inquam presbyter, nixus divino auxilio, & propria innocentia fretus, omnes istos aquarum fluctus in spumas, & fumos facili negotio convertit. Quid multa? tentatus, ventilatus, cribratus, innoxius pronuntiatur, parùm dixi innoxius. Imò mentior, si non candoris & innocentiæ pulcherrimis ornamentis condecoratus. O quoties tu *Vrsulane* cum tuis, hoc devovisti caput? quòd fronde hodiè redimitum, non de quâvis arbore, sed S. Theologiæ lauro pro meritis vides: imò auctum & onustum Romanis honoribus, dum præclaris proto-notarij Apostolici titulis, in fidei & sinceritatis irrefragabile testimonium cohoneſtatum, nec ab alio quam ab *Vrbano* Papa 8. totius Ecclesiæ moderatore conspeximus. Tu interim *Vrsulane* pergas, uti occeperas Mendaciorum centones consuere, spargere in vulgus falsos rumores, mandare tuis fratereulis, ut inter mendicandum facta, & infecta canant, qui pro una sportula aut subcinericio pane accepto à vetula) quo & ipsa ægrè carere poterat) dicant in Clerum, quicquid in buccam venerit. Tenentur vobis assentiri omnes. Quippe fratres estis mendicantes. Hoc est ut interpretatur *Walsingamus*: omnium mortalium mendaciſſimi.

Sed detur. Quòd hoc de quo agitur scriptum, libellus fuerit verè infamatorius. Num hic bonus presbyter *Patricius Cahil* convictus unquam de illius erat compositione? Asseris confidenter. Imò & (quòd pessimum est genus falsi, & formaliſſimum mendacium) contra scientiam, & conscientiam propriam. Non enim te *Vrsulane* latet, quòd pro defensione suâ contra Ordinarij processum in hac causa, non solùm author-

rem

rem illius cantilenæ, ſive carminis ſæpius nominavit: ſed & præſentem præſenti, vivum vivo, coram & perſonaliter exhibuiſſet, ſi quoquo modo ad ſuum conſpectum Ordinarius Dublinienſis Franciſcanus, illum admiſiſſet. Nunquam enim erubuit, aut detrectavit author, & prænomen, & cognomen huic ſcripto apponere, qui omni loco, omni cœtu & ſermone, rogatus & non rogatus hoc idem eſt ſemper profeſſus. Eſt ſiquidem presbyter ex Medenſi Diœceſi oriundus, ab omnibus bonum habens teſtimonium, nomine *Thomas Guire*, paſtor de *Killin* in *Medenſi* Diœceſi qui hodiè vivit. Vivit? imò & valet ad contundendam tuam (*Vrſulanè*) audaciam. Hic namq; citatus perſonaliter comparuit coram Ordinario ſuo Epiſcopo Medenſi à quo rogatus. Tune es author illius carminis, quòd Regulares uno ore clamant eſſe libellum infamatorium, an alium quærimus? Et confeſſus eſt, & non negavit. Et confeſſus eſt: Ego ipſe, & non alius, illam ipſam cantiunculam (de quâ fit queſtio) compoſui, concinnavi, cecini, cui & in omni loco Patronus haberi cupio, & continuò in manus accipiens carmen, coram aſtantibus, hæc ſequentia & affixit verba.

Quandoquidem ad aures meas pervenerit. D. *Patricium Cahil* presb. accuſatum de compoſitione hujuſce carminis anglicano idiomate ſcripti, quod pro titulo habet,

Lamentatio peccatoris tam ſua, quam aliena peccata plangentis.

Ego *Thomas Guire* Rector parochialis Eccleſiæ de Killin, pro juſtitiâ, & in veritatis teſtimonium, & præſidium innocentiæ agnoſco, certifico, & omnibus notum facio, quòd ego ipſe, & non alius, ſum author indubitatus, & aſſertor hujuſce carminis, ſive poëmatis, atque

paratus sum omni loco & tempore idem defendere; uti conforme & summè consonans sanæ, piæ, & catholicæ doctrinæ, & nemini injuriosum. Et hoc subscriptione nominis confirmo.

Thomas Guire. April. 3. 1630.

At quid actum est contra hunc presbyterum? Nunquid suspensus à divinis aut sacris interdictus à suo Diœcesano discessit? Imò nec leviter increpatus. Quippe prudens & doctus est ille Præsul discernere quid rectum, quid obliquum. Quin & præfatum authorem *Thomam Guire* hanc agnitionem coram se fecisse, suo insuper chirographo fidem facit *R.D.* Episcopus *Medensis* in hæc verba.

Omnibus Christi fidelibus præsentes literas inspecturis. Nos *Thomas* Dei & Apostolicæ sedis gratiâ *Medensis* Episcopus salutem in eo qui est vera salus. Notum facimus R. Dom. *Patricium Cahil* sacerdotem à quibusdam accusatum fuisse ex parte R^mi Dom. *Thomæ* Dublinien sis Archiepiscopi, quòd scil. in dictum prælatum libellum famosum versu Anglicano compositum scripsisset, quod cùm seriùs examinassem, reperi unum alium è meis sacerdotibus, composuisse illos versiculos, quos asseruit se fecisse, & defensurum esse, quoties ad id vocandus est, cùm neminem particulariter ijs criminatus sit, vel culpauerit, aut errores declararit. In cujus rei testimonium, præsentibus propriâ manu subscripsimus. Datum in loco nostræ mansionis 22. Augusti 1630.

Thomas Episcop. *Medensis.*
Locus Sigilli.

Tu

Tu *Vrſulane* R. ſacerdotem *Patricium Cahil* prædicas authorem hujus carminis, quòd Archiepiſcopus *Dublin.* Franciſc. unà tecum & cum Regularibus contendit eſſe libellum infamatorium. At hoc negat R^mus D. Epiſcopus *Medenſis*, imò poſt inquiſitionem factam reperiſſe ſe ait unum ex ſuis ſacerdotibus illud compoſuiſſe, non D. *Patricius Cahil.* Vides etiam ante oculos eundem ex *Medenſi* Diœceſi ſacerdotem, nimirùm *Tho. Guire*, hoc coram ſuo Diœceſano agnoſcentem, aſſirmantem, in affirmatione perſeverantem, & ſubſcripto nomine omnibus publicantem. Quid ad hoc *Vrſulane?* Vbi eſt hodie tua frons? Vbi pudor? Vbi pietas? Vbi religio? Vbi S. *Franciſci* æmulator? Vbi conſcientiæ ſtimulus? Nonne dictat mens tua te ad pallinodiam obligari tam pernicioſi mendacij in proximum tuum? Num pergis omni die aſtare ſacris altaribus, & tremenda tractare myſteria cum tanti peccati reatu? Quare rubra eſt, & Ch. ſanguine madida illa lingua, quæ hæc effudit in hominem innocentem, in presbyterum? Satius erat memini ſe illud Ch. Dom. Math. 5. *Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adverſum te: relinque ibi munus tuum ante altare, & vade priùs reconciliari fratri tuo. & tunc veniens offeres munus tuum.* Vtiq; quibus conſilia evangelica ſunt obſervanda, illis & præcepta magis. Conſtat ſiquidem ex doctrina omnium Theologorum & Canoniſtarum, quòd qui res infames publico conſcripto impegerit alicui, & non eſt probando, tenetur ad publicam retractationem earundem, & reſtitutionẽ famæ idq; ſub mortalis reatu, non obſtante quòd in pœnas capitales lege imperatoriâ & civili inciderit. Et hic eſt tuus caſus *(Vrſulane)* quandoquidem conſtat ex prædictis, hoc tuum ſcriptum eſſe libel-

libellum infamatorium, & eo nomine formaliſſimum, quòd falſò & publicè accuſaveris innocentem de enormi crimine ſuppreſſo tuo nomine quo ſubterfugiat probationem. Et hactenus de poëmatis hujus authore.

Iam ad ipſum poëma deſcendamus, quòd noſter Archiepiſcopus *Tho. Flemming.* tu *Vrſulane*, & omnis Regularium turba vultis eſſe libellum, contra honorem, bonam famam, & exiſtimationem D. Archiepiſcopi & Regularium impiè conflatum, & cujus tam divulgatorem quam authorem incidiſſe in canonem clamatis. Ad quam diluendam calumniam notandum eſt, quòd hoc carmen ſub perſonâ, partim referentis hujus ævi vitia, partim lugentis eſt editum. Et primo loco Eccleſiaſticorum delicta taxat. Secundò Divitum. Tertiò Superborum. Quartò Fraudulentorum. Quintò Laſcivorum. Sextò Ebrioſorum. Septimò Iurantium vanè: quos omnes ſub finem, ſecum ad pœnitentiam, & vitæ emendam, piè invitat & hortatur. Verùm cùm hoc poëma ex multis tetraſticis conſiſtit, & nimis proſixum ſit huic opellæ inſeri, inſuper & Anglicano idiomate compoſitum ſatis fuerit illud omne quod iſti in hoc carmine vitiant, & reprehendunt tibi lector ante oculos ſubjicere, ut etiam vel tuo judicio ſtet, vel cadat Author.

Gods Church the pillar of all right,
Is by ſome Prelates rul'd by might.
Where favour is or friendſhip knowne,
Though cleare the right, it's overthrowne.

Religious in their humble ſtate,
Doe ſcorne a Prieſt to be their mate:
Whilſt chiefe in Church they would be ſeene,
Though Popes and Biſhops ſtill have beene.

Qui

Quæ ſic ad literam Latinè reddo, nullâ vel metri, aut carminis ratione habita, quo fidi agam partes interpretis.

Eccleſia Dei, columna recti,
Per quoſdam Prelatos regitur potentiâ.
Vbi favor vel amicitia dignoſcitur,
Ius (licet) manifeſtum violatur.

Religioſi in ſuo humili ſtatu
Sibi in ſocium presbyterum non dignantur.
Dum in Eccleſiâ præcipui volunt videri,
Licet Papa & Epiſcopi ſemper fuêre.

Tuum jam eſto lector judicium, utrum hoc carmen ſit libellus infamatorius, conferendo illud ad canonem & jus civile. Negativo apud nos ſubſcripſerunt hi Theologi, & Iuriſtæ.

Petrus Cadellus S.T.D.
Iacobus Talbottus S.T.D.
Lucas Rochfort S.T. Licent
Thomas Doud presb.& profeſſor Theolog.
Guilielmus Shergoldus presb.& S.T.profeſſor.
Iuriſtæ.
Iohannes Haly. I. V. D.
Thomas Walſh. I. V. D.

Affirmativo verò adhæſit primo loco,& ante omnes, ille qui claſſicum ad hoc inteſtinum bellum inter Eccleſiaſticos cecinit *Guilielmus Malone*, aliàs *Morgan*, aliàs *Browne* frater *Ignatianus*, ſive *Ieſuita*, in cujus ſententiam pedibus iverunt longâ ſerie ſequentes.

Henricus Cuſak, aliàs *Wiſely*. Ig.	*Simon Wafer*. Franciſ.
Robertus Nugentius. Ignat.	*Lucas Bath*, Capucinus
Thomas Quin. Ignat.	*Barnabas Barnuel*. Cap.
Bartholomæus Hamlin. Ignat.	*Col. O Malachlin*. Cap.
Tho. Babe Franciſ.	*Iohan. Plonkettus*. Car.
Iohannes Preſton. Franc.	*Patric. Donavan*. Car.

Quorum veſtigia ſequuti ſunt & cæteri.

Horum ſequutus conſilium, ſuſpenſionis cenſuram, eamq; ſine termino inflixit Diœceſanus noſter, (& ipſe Regularis) ſubdito ſuo benè merito presbytero, quem inſuper ut afflictionem in afflictionem adderet, exulem fecit è Diœceſi, à quibus malis eximi non poterat priuſquam adeundo Romam, mandata reportaverit *Petri*, quibus omnia iſta injuſtitiæ vincula protinùs diſrupta in ventos abiere. O cœci cœcorum duces, Hiberni Regulares! in quas errorum foveas veſtros diſcipulos abripitis, & detruditis gentem ſequacem, cereamq; in deviâ flecti nullatenus ferentes veſtra vitia reprehendi, imò nec à presbyteris ad hoc munus deſignatis, & à ſummo paſtore miſſis; miſſis (inquam) tam ad arguendum, & increpandum, quam ad obſecrandum, & exhortandum omne genus hominum, tam Eccleſiaſticos quam ſæculares, tam Clerum quam populum, tam Prælatos quam ſubditos, tam Religioſos quam irreligioſos, juxta illud Apoſtoli ad Timot. 2. cap. 4. *Prædica verbum, inſta opportunè, importunè: argue, obſecra, increpa in omni patientiâ, & doctrinâ.* Vos verò quoties auditis veſtros exceſſus perſtringi, licet moderatè, & charitativè, idq; in univerſali, & in vago, continuò clamatis, contumelioſus eſt, convitiator eſt, ſi ſcripto; libellator eſt famoſus; ſuſpendatur tam ab officio, quam beneficio: deportetur ad Gemonias, vel in exilium: quo facto clarè demonſtratis, cujuſcunq; fueritis ordi-

nis

nis vel ordinum in ecclesiâ, illius certè vos socios esse ordinis, de quo Apostolus in sequentibus. *Tempus enim erit, cùm sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros, prurientes auribus, & à veritate quidem auditū avertent, ad fabulas autem convertentur.*

Quid ad hæc Regulares? Quo istæ rugæ frontis caperatæ? Num hæc vos pungunt? Imò certè magis sunt (fateor) asperæ, & aculeatæ, quàm illi versiculi lenti & sine dente à *Medensi* presbytero compositi. Num vultis me ergo accusare de libello infamatorio? Cerræ germanæ; & Milesiæ fabulæ. Imò potiùs à me discite Regulares. Quid sit juxta canones, & ecclesiasticas sanctiones libellus infamatorius, & quis eo nomine puniendus. (nec pudeat vos discere quamdiù ignari estis) hoc modo prudentiores facti, in posterum tam vestræ famæ & existimationi quam Episcoporum, (quorum fueritis consiliarij) melius consuleris. Est igitur libellus famosus, *Scriptum insigniter ledens famam alicuius, aut aliquorum in particulari, & individuo determinato, aut aequivalenter de crimine quod quis probare non vult, expositumque publico loco quo reperiatur.* Et hæc definitio habetur in terminis apud *Silvestrum* in Summâ in rubr. de libello 11.4. & apud *Ang.* in Sum. verbo *Libellus famosus* sub initium. colligi etiam potest ex his quæ habentur in jure 5.q.1.c.1.&2. Videre est ergo quòd hæc quatuor sunt de essentiâ libelli famosi. 1. ut sit Scriptura. 2. contra personas determinatas 3. de crimine quod quis non vult probare. 4. ut communicetur alijs. At hi versiculi neminem in crimen vocant, nec author eos publicavit, aut se subduxit à probatione. Ergo non libellus famosus, nec ille tali notâ dignus.

Imò quid si ego Dom. Archiepiscopo, & suis consiliarijs

filiarijs hos ipsos versiculos in canone ostendero oratione solutâ, & prosâ exaratas? Nunquid canonem de libello famoso insimulabunt? aut suspensionis à divinis & ablegationis pœnis à Diœcesi Dublinienſi coercebunt? Advertas ergo (lector) quæ legeris. *Decret.* lib. 3. Tit. 5. cap. 29. in hæc verba. *Grave est nimis & absurdum, quòd quidam Ecclesiarum prælati cùm possint viros idoneos, ad ecclesiastica beneficia promovere, assumere non verentur indignos, quibus nec morum honestas, nec literarum scientia suffragatur, carnalitatis sequentes affectum, non judicium rationis, &c.* Conferas quæso hæc cum priore tetrastico superioris carminis, & videbis illa prorsùs si non de verbo ad verbum saltim in eandem sententiam coincidere. Vis etiam audire (lector) quàm infamis libellator erat. S. *Hieron.* in Prælatos sui temporis. *Vidimus plures* (inquit) *non quærere eos in ecclesia columnas erigere, quos plus cognoscant ecclesiæ prodesse, sed quos vel ipsi amant, vel quorum sunt obsequijs delinîti, vel pro quibus majorum quispiam rogaverit, vel* (ut deteriora taceam) *qui ut clerici fierent muneribus impetrâsunt. Hieron.* in cap. 1. ad *Titum.* Cave tibi presbyter *Stridone* nate. Si enim veneris ad hanc Dublinienſem Diœcesin profectò censeberis, fortè tuis temporibus *Hieronyme* ignotum erat, quis pro libellatore contumelioso & infami, esset habendus. At certè nostros monachos id non latet, quorum licet plurimi sint imberbes, omnes tamen volunt esse docti.

Nam quibus ingenium, & rerum prudentia velox,
Ante pilos venit, vitio præfigere nigrum
Theta sciunt.

Prodeas in hanc arenam S. *Bernarde*, videamus etiam an tu in horum numerum ascribi tuo merito poteris: consulat lector sermonem 77. super Cantica, cujus ti-

tulus

tulus est De malis pastoribus Ecclesiæ. *Intuere quomodo incedunt nitidi, & ornati, circumamicti varietatibus, tanquam sponsa procedens de thalamo suo. Nonne si quempiam talium repentè eminus procedentem aspexeris, sponsam potius putabis quam sponsæ custodem? Vnde vero hanc illis exuberare existimas rerum affluentiam? vestium splendorem? mensarum luxuriem? congeriem vasorum argenteorum & aureorum, nisi de bonis sponsæ?* Et post multa in hunc scopum congesta. *Sine causa tamen vel his, vel illis immoramur, quia non audient nos &c.* Benè dicis, verum dicis *Bernarde*, equidem te non audient, imò te proscribent. Maneas igitur si salvus esse velis in tuâ Claravalle, hic saltim puri sumus: Noli nos tangere. At satis mirari non possum patientiam Prælatorum saltim civitatum & locorum in tua *Burgundia* & adjacentibus *Bernarde*, qui te talem & tam perdita declamantẽ in eorum mores sustinuerunt, imò passi sunt orbi divulgari. *Inde is quem quotidiè vides meretricius nitor, histrionicus habitus, regius apparatus: inde aurum in frænis, in sellis & calcaribus, & plus calcaria quàm altaria fulgent, inde splendidæ mensæ in cibis, & scyphis, inde comessationes, & ebrietates, inde & cythara, & lyra, & tibia, inde redundantia tot cularia, & promptuaria plena eructantia ex hoc in illud, inde dolia pigmentaria, inde referta marsupia pro hujusmodi volunt esse, & sunt ecclesiarum Præpositi, Decani, Archidiaconi, Episcopi, Archiepiscopi, &c.* Serm. 33. super Cantica. Et hæc de Ecclesiæ Prælatis. At numquid non reservasti benedictionem pro tuis filijs, sancte Abbas (monachis inquam *Benedictinis.*) *Sunt quidam in monasterio morbo phrenetico laborantes, ad iram prompti, ad odium festini, susurones, gulosi, murmurosi, invidi, tumidi & elati, Deo de bonis collatis ingrati. Adæ prævaricantis pelliciâ vestiti, illius vestimento salutis nudati, qui secundùm Deum creatus*

est in justitiâ & sanctitate veritatis. Isti.

Pelliculam veterem retinent, & fronte politâ
Allutam vapido portant sub pectore vulpem.

Et inferius. *Adhuc te alloquor ô monache. O homo! velox es ad mensam, tardus ad ecclesiam; potens ad potandum, sed æger ad cantandum, pervigil ad fabulas, somnolentus ad vigilias; procax ad loquendum, sed mutus ad psallendum; promptus ad iram & detractionem, tardus ad orationem: Invidiæ amator: Christi persecutor, festucam respiciens, trabem non considerans; cæteros reprehendis, teipsum non corripis; malitiæ inventor, disciplinæ destructor; amicus vitiorum, inimicus virtutum, &c. Bernard.* sermon. 15. in cœnâ Dom. Hæc scripsit & posteritati mandavit S. *Bernardus*, qui neq; à divinis suspensus, nec sacris interdictus, nec exilio multatus erat, deerat quippe illi Superior forsan ex ordine S. *Francisci*, omnia ad ingenium & libidinem mendicantium administrans. His si ego tam ex scriptoribus antiquis, quàm modernis adjungerem, quæ in hunc scopum adduci poterant, nec minore certè aceto, aut mordaci vero delibuta in omne genus (inquam) Regularium, tam Mendicantium, quàm possessionibus gaudentium, transirem certè modum, & fines, quos mihi in hoc *Anti-Vrsulano* meo constitui. Hæc pauca adduxi, quibus tanquam in speculo quàm fœde erratum sit à nostris mendicantibus in arbitrandis libellis infamatorijs conspiciatur. Et jam ad te *Vrsulane* revertor.

Pergis etenim dicere. Quòd hic *Patricius Cahil* à divinis suspensus est. Fateor per diœcesanum suum *Tho. Flemmingum* Franciscanum, à quâ suspensione ceu injusta, ad sedem Apostolicam appellavit, & appellationem personaliter est prosequutus, & tandem de hostibus præclaram victoriam reportans, in patriam remissus

sus est ab *Vrbano 8.* cum benedictione & viatico, deferens mandata sui patris ad tres Episcopos, *Osuriensem, Fernensem, & Corcagiensem*, uti omnes lites hactenus in Romanâ curiâ dependentes inter Ill. Archiepiscop. Dublinensem Franciscanum, & hunc pastorem pro tribunali examinarent, judicarent, terminarent.

Dicis verò quod non obstante hoc suspensionis, & ablegationis mandato. Dublinij contumaciter inobediens aliquandiu manfit.

Vti quod verum est dicam, me magis pudet toties te de Mendacijs admonuisse, quàm te mentitum fuisse. At illud Philosophi me utcunq; solatur dicentis. *Elenchor. lib. Duo sunt opera sapientis, quorum unum est non mentiri de quibus novit, alterum verò mentientem manifestare posse.* Quomodò enim inobediens contumaciter Dublinij mansit? qui suspensionem Ordinarij eâ conscientiâ semper observavit, ut à latâ sententiâ usq; ad discessum à provinciâ, ab omni sacerdotali munere tam publico, quàm privato abstinuit. Aut hoc si minus, quare in os illius Romæ agentis, & tanquam auri in fornace probandi non exprobaretur? Tu *Vrsulane* quod audisti absens, nos quod vidimus presentes loquimur, at plus valet testis oculatus vnus, (ut est in Proverbio) quam auriti decem. Imo ut verius dicam, non audita, sed plane apud te commenta nobis credenda obtrudis, cum enim toties verecundiæ fines transiveris, quomodo te bene & gnaviter non impudentem esse oportet?

Vides jam tandem Lector, nullam huic pastori imponi causam, aut crimen quo ab accusatione aut testimonio ferendo contra delinquentes, & facinorosos hujus regni Regulares in materia undecim propositionum arceatur. Nullas enim inimicitias, aut odia cum Fran-

Franciſcano Archiepiſcopo exercuit, niſi juſta defenſio & provocatio ad ſedem Apoſtolicam ritè, & juxta canones facta & peracta pro odio habeatur. Contumacia illi nulla, ſed obedientia ſumma quamdiù in Diœceſi manſit. Infamia nulla, niſi quam ſuis contumelijs *Vrſulanus* illi affinxit. Non enim talem qualis hic fuit, ſed qualem malitia infenſiſſimi hoſtis eum eſſe voluit, nobis exhibuit.

Pergis (*Vrſulane*) varios jam citare canones, quibus Inimici, Contumaces, & Infames homines ab accuſando, & teſtando repelluntur. Sed incaſſum. Vbi enim tollitur ſubjectum quæſtionis, fruſtrà diſputatur. Dato enim, aut probato, *Itum* omni tempore fuiſſe pauperrimum. Nunquid tu illum uſurarium convinces? Apage te ergo, & jus tuum canonicum toties citatum effunde in alios, qui hujuſmodi notis maculantur, hunc enim omni cigno candidiorem vides. Quocirca ad accuſandum, & teſtandum idoneum, habilem & legitimum, & pro tali Romæ, & Pariſijs, & ubivis terrarum habitum. Sed animi cauſâ fingamus *Titium* eſſe talem, qualem tu hunc eſſe velis, id eſt, Inobedientem, Infamem, & inimicum; fortaſſe & ego te docebo jus canonicum, quo talis (in caſu quo) pro accuſatore & teſte habeatur.

Nunquid non legiſti in jure canonico, quòd in odium criminis, (puta Hæreſis læſæ majeſtatis, Simoniæ) nemo prohibetur accuſare, nemo teſtari? Legas ergo 6. q. 1. cap. 20. *Cum Majores*. Item cap. 21. *Quero ergo*. Et invenies quod etiam participes in crimine criminoſo pro accuſatoribus, & teſtibus admittuntur in ſupradictis caſibus. At Regulares *Hibernici* coram Pariſienſibus accuſabantur de gravibus in fide erroribus, imò & Hæreſibus. Ergo poſito quòd *Titius* erat inobediens,

ens, Infamis, & Inimicus poterat ferre teſtimonium contra illos. Tu *(Vrſulane)* hanc mihi nucem enuclea.

Sed tantum te ceperit maledicendi cacoëthes, ut jam mutans objectum eâdem linguæ feritate quâ uſus es in ſupra nominatum ſacerdotem *Patricium Cahil*, oblatras etiam in Illuſtriſſimum Archiepiſcopum *Armachanum*, in R. Epiſcopos *Oſorienſ. Fernenſ. Corcagienſem, Medenſem, Kilmorenſem*, culpans horum facilitatem in concedendis literis commendatitijs, tam anteactæ, quàm præſentis vitæ huic peregrè proficiſcenti. Ac ſi crimen haud leve foret, viro integerrimo & ſpectatiſſimo teſtimoniale ſuæ innocentiæ chirographo munitum tradere. Sed revertere bone vir, ad animum parum, & reminiſcere dierum antiquorum, & exempla majorum. Nonne Apoſtolus ſuum *Timotheum* per Epiſtolam *Corinthijs* plurimùm commendavit? 1. Cor. 16. Nonne ad *Timotheum* ſcribens, & deſcribens qualem oportet eſſe presbyterum. 1. *Timoth.* 3. inter alias illi neceſſarias virtutes, quæ & ibidem enumerantur has etiam inprimis requirit, uti *bonum ab omnibus habeat teſtimonium.* Imo hoc nomine laudatus erat *Cornelius* centurio, *Act. 10. Quòd erat vir bonus & juſtus, & teſtimonium habens ab univerſâ gente Iudæorum.* Vides in quantum eferbuit, & ultra omnem modum & menſuram, tua malitia in hoc unum reprehendens. quòd in alijs eſt laudabile, & ubivis terrarum in uſu, nimirùm, ut quo vox, & lingua non pertingat, eo ſcriptis laudata, & teſtata virtus perveniat. Sed dicis oportuiſſe illum ab Ordinario ſuo teſtimoniales illas literas obtinuiſſe, & non ab alijs Epiſcopis.

Literas quas vocant dimiſſorias concedo, quas Ordinandi à proprio Diœceſano acceptas externis Epiſcopis præſentare teneantur ad hoc, ut ab illis ritè ordinentur.

dinentur. At commendatorias ad absentes, uti quis cognoscatur, & eo loco, gradu & honore habeatur apud exteros, quo sua virtus domi meretur, à quovis, sive is Prælatus sit Ecclesiasticus, sive magistratus civilis, imò vel ab amico & familiari, & petere & accipere nemini usquam inhibitum fuit. Sed ab Ordinario fortasse suo has ipsas obtinuisset literas? Imò amicas proculdubiò & gratiosas ab illo impetrâsset, qui nullâ prævia causâ vel crimine, à suâ Diœcesi paulò ante proscripserat, & ablegaverat innocentem. Ab Ordinario? qui suffultus falsis Regularium suffragijs hunc ab omni sacerdotalis muneris exequutione suspenderat. Ab Ordinario? à cujus violentiâ se justâ appellatione subtrahere, terram vertere, & ad communem Ecclesiæ patrem, & unicum afflictorum asylum se conferre sit coactus, sub cujus umbrâ & alis illum protectum, defensum, & impiorum manibus ereptum lætamur. Ab Ordinario Franciscano quidquam boni expectasset hic Clericus? qui ut suorum Monarchiam fundaret, & Regularibus stabiles sedes, & regnum in hoc regno poneret, Clerum omnemq; ecclesiasticum parochorum ordinem stirpitus in se susceperit (quod non semel est minatus) evertere. Hoc enim nostris Regularibus à multis jam annis in votis fuit. Hoc omnibus vijs & modis sunt machinati. Hoc agressi seriò, uti sibi Hibernicam Ecclesiam ancillam, subjectam, servam, & ad nutum, (quòd ferè sub hoc Episcopo sunt consequuti) haberent. Nacti enim jam tandem sunt hominem in prælatum juxta cor suum, qui facturus est omnes voluntates, & desideria eorum, qui bellum magis asperum, & indefessum cum suo Clero hodiè gerit, quàm ipse magistratus à Catholicâ fide alienus. *Cæsar Augustus* de suâ *Româ* gloriari sæpè, & veraciter solebat se lateritiam

lateritiam inveniſſe, ac marmoream reliquiſſe. At noſter Antiſtes ex Cordigerorum familiâ electus, neſcio an gloriari velit, at certè verè poteſt dicere Clerum ſe doctum & numeroſum inveniſſe, indoctum & paucum hodiè habere, at qualem relicturum neſcio, ſed ſi fas ſit ominari, reor neq; doctum, neq; indoctum, ſed planè nullum. Hoc enim illi in ore eſt perpetuum: Quid opus eſt, ut paſtores ſint docti? In quem finem concionatores? Cùm hæc munia ad Regulares omninò ſpectent. Et juxta doctrinam eſt praxis. Quo enim quis indoctior aut contemptibilior eo (hoc Antiſtite) ad paſtoratum aſpiret facilius. Sed ne quis me fortè putet animi livore ultra verum hæc ſcripſiſſe: Teſtor Deum & conſcientiam meam, quòd calamitates Cleri, & Regularium ſuperbiam in his partibus vix adumbravi. Sed certè ſperandum eſt, quòd tantæ paſtoratus ruinæ ſedes Apoſtolica tandem obviabit.

Sed urges (*Vrſulane*) quòd non ab alijs Epiſcopis, quàm ab Ordinario huic petendæ fuerint litteræ commendatitiæ, & ut inſanire cum ratione videare, pro hâc tuâ ſententiâ Ius citas canonicum. Sed quâ fide? planè Punica, textum enim corrumpis, & falſificas dum his verbis eundem nobis deſcribis. pag. 19. *Ordinarij ſui, & non aliorum diœceſis Antiſtitum præſtolari oportere judicium & teſtimonium.* 69. q. 3. cap. Denio,. At obſerva lector, diſcrimen tam verborum quàm ſenſus. Ita enim ſe habent verba ſyllabatim textu citato apud *Gratianum. Primatis ſe debuerat, & non aliorum diœceſeos Antiſtitum præſtolari judicium.* Vbi vox hæc eſt *Ordinarij*? Vbi *teſtimonium*? Loquitur enim Canon de quodam Epiſcopo, nomine *Suffredo*, qui reſignaturus Epiſcopatum, mallet ſe ſubjicere judicio aliorum Epiſcoporum, quàm ſui Primatis. Dicas falſarè, & corruptor Canonum.

num. Quid hoc ad literas testimoniales, ab Ordinario petendas? Num aliquis te posthac hæreticus anteibit falsificando patres? Quis ergo Cordatus non potiùs judicio tot Episcoporum, qui bono, & paci Ecclesiæ consulunt, qui gregibus invigilantes in vestimentis ovium venientes lupos à caulis abarcent, qui Ecclesiasticorum honori studeant, non potiori jure standum in concedendis cuipiam literis testimonialibus judicabit? quam fraterculo (nescio ex quo angulo latranti) qui Ecclesiasticam Hierarchiam turbare, & inquietare nocte dieq; laborat.

Multus es (*Vrsulane*) in alijs citandis textibus, quòd Canones inhibent. Ne inobedientes suis Ordinarijs alij Episcopi suscipiant, pag. 19. & 20.

Sed umbram omninò verberas, dum neq; hunc inobedientem suo Ordinario, nec alios Antistites in suam tutelam eundem accepisse ullo argumento doces. Nisi fortè summo Pontifici tibi obmurmurare libuerit, qui hunc de manifestis injurijs ad se provocantem, jusque petentem (ea qua solet pietate) amplexus est. Dimittamus ergo jam tandem hunc *Patricium Cahil*, virum spectatæ probitatis, rectumq; (ut dicitur) in Curiâ stantem, & progrediamur quo tu (*Vrsulane*) nos passu ducis ad reliquos, qui unà cum illo steterint in acie contra tuos Symmistas Regulares nimirùm Hibernos, (ab avitis consuetudinibus, imò & fide, quam à majoribus acceperunt, deviantes) coram Parisiensibus.

2.

Horum autem secundus est *Michael Cantwel* presbyter (in quantũ audio) & pius, & doctus, & ex demandatione Illust. Archiepisc. *Cassiliensis*, Cleriq; *Momonienſis*

nienſis ſuffragijs electus in Procuratorem in *Romanâ* Curiâ pro illâ Provinciâ. Poſt aſſueta verò convitia, à quibus ſemper cauſam exordiris, & Adverſarij tui famam & exiſtimationem elevare conaris: Huic primò objicis pag. 21. Quod teſtimonium dixerit in Regulares *Hibernos* in materiâ undecim Propoſitionum, ſponte ſcil. & non rogatus. Et contra hunc proceſſum multa jura citas.

Sed operam ludis, Non enim tam conſiderandum, quid antiqua jura multis retro ſæculis ſtatuerint, quàm quid hodie eſt in praxi, & omni foro tam civili quam canonico in viridi obſervantiâ. Licet enim ad ferendum teſtimonium non ſemper ſub peccato teſtis teneatur: Poteſt tamen pro naturâ rei controverſæ, & habito perſonæ ſuæ debito reſpectu, etiam non vocatus pro veritate teſtari. Imò in Capitalibus ad liberandum innocentem, & in omni enormi & atroci crimine ſub mortali, imò non rarò ſub excommunicationis pœna, ad præbendum veritati teſtimonium obſtrictus tenetur. Et ne nobis jura in hâc parte deeſſe putes. Vide apud *Gratianum* jus civile citatum. 4. q. 3. in hæc verba. *Ad fidem rei geſtæ faciendam, etiam non rogatus teſtis admittitur.*

Sed jam pergis ex alio capite huic fidem imminuere dum exprobras illi, quòd ordinem *Ieſuitarum*, ſive fratrum S. *Ignatij* (cui per multos annos fuerit aſtrictus) deſeruit. Et quoniam hoc faciendo Apoſtaſiæ notam, & infamiam incurrerit, idcirco Iuris exceptionibus obnoxium eſſe dicis. Ita ut accuſare, aut teſtari illi de cætero integrum non ſit. pag. 21. & 22.

Reſpondeo falſum (*Urſulane*) ſupponis, quo Lectorem in errorem deducas. Non enim hic deſeruit inſtitutum ſuum. Sed ordo deſeruit illum. In cujus rei fi-

dem literas suas dimissionis habet ostendere sub chirographo provincialis, quod propter nullum crimen peccatum, aut delictum dimissus est. Cùm ergo non sit desertor ordinis nullam Apostasiæ notam contraxit, sed immaculatus manet à delicto maximo, quo tu illuminisci velis, & in omni foro rectus & legitimus habetur. Imò orbi & urbi notum est, quòd & te *Vrsulane* non latet (licet cùm hodie, non sit in rem tuam illud agnoscere, dissimulare mavis) Quòd ille *Iesuitarum* ordo non semper expurgat vetus fermentum, ut fiat nova conspersio, nec furfurem à farinâ tam subtili cribro omni tempore secernit, ut sibi similem semper retineat evaporato & dimisso, quod minus est sincerum, licet de hoc gloriari soleat apud nos hujusmodi institutrocij & alumni. Imò testis est *Italia*, testis *Gallia*, testis *Hispania*, *Germania*, *Flandria*, in quibus tot Episcopi, Canonici, Parochi, & cujusvis ordinis & familiæ fratres quamplurimi, viri docti, & pij, ecclesiæ utiles, & profectui, quos tamen illa societas expulit aut dimisit, sibi reservans innumeros alios, qui cum his minimè sunt comparandi.

Postquam autem dixeris in hunc quodcunq; tibi venerit amarum, stylum continuò vertis in Illustr. *Cassiliensem* Archiepiscopum, reliquosq; *Germaniæ* Antistites, & genuinum frugis in illos, qui huic Procuratorium munus demandarunt. Imò incenderis pari ostro contra *Parisienses* Doctores, qui hunc talem ad testimonium admiserunt. pag. 25. 26.

Sed in hac causâ (*Vrsulane*) constituamus inter nos arbitrum de æquo, non *Socratem* aut *Platonem* aliquem, sed ad medium *Iaunum* sedentem, seu apricantem in sole senem, & statim audies injustum esse & iniquum proponere unius *Vrsulani* judicium sententijs tot Episcoporum

ſcoporum & Præſulum tam domi, quàm foris agentium, tot doctorum virorum quales illa inclyta *Pariſienſium* ſchola habet. Dimittamus hunc tandem igitur, & in omni cauſâ (quâ ſolent Clerici admitti) teſtem ſine exceptione legitimam agnoſcamus.

3.

Et ecce tertio loco ſe præſentat *Iacobus Fallonus* presb. adverſus quem inſurgit *Vrſulanus* tanquam alter *Satanas*, neminem non accuſans, nullius famæ aut exiſtimationi parcens. Aſt utinam quod in judicijs non ſemel uſurpari vidimus juſjurandum calumniæ, primò huic Cenſori daretur, religioſius forſan de cæteris ſe gereret in accuſando, teſtando, criminando. Huic enim infamiæ labem inurit (unde incapacitatem teſtandi infert) quòd errores neſcio quos (non enim illos nominat, aut enumerat) pro concione Galviæ Conaciæ urbe habita prædicavit. Imò & ſecundo loco infamiam etiam contraxiſſe hunc vult, propter palinodiam & publicam eorum retractionem ex mandato Archiepiſcopi factum. pag. 21.

Sed docendus es *Vrſulane*, quòd horum neutrum aut infamiam aut irregularitatem inducit. Vbi enim crimen non antecedit, nec infamia ſequitur. Errare enim, labi, falli, decipi, humanum eſt. At errores tuos ubi reſciveris corrigere, & emendare, eſt propè divinum. Neutrum ſaltem in ſenſu compoſito criminoſum, neutrum infame.

Sed adverte Lector, & deteſtare hujus *Vrſulani* mentiendi habitum, qui adeò facilitat actum, ut omni occaſione eſt præceps in mendaciâ. Nullum enim hic bonus presb. in theologiâ docuit errorem, nec ad palinodiam

diam ab Archiepiscopo Tuamensi tunc temporis Cordigero coactus aut invitatus erat. Contigit autem quod aliqui ex Cordigerorum familiâ illum aliquoties audientes concionantem, aliquid contra suorum privilegia dicentem per errorem suspicati sunt. Hic verò bonus presbyter hoc quam primum intellexerat, uti mentes illorum serenaret, & pulcherrimum charitatis officium illis exhiberet (ut est vir eximiè pius) motu proprio, nemine hoc suadente suggestum quodam die pro more conscendens hujusmodi verba suaviter effudit. *Si qui sunt ex vobis Auditores qui putent me aliquid dixisse contra privilegia fratrum Franciscanorum, sciant se perperam accepisse mentem meam. Non enim diffiteor quin sua habent indulta à sede Apostolica, quibus freti possunt in ædificationem & utilitatem Ecclesiæ & prædicare, & excipere confessiones fidelis populi, &c.* Nota lector, errores & palinodiam, ut videas & rideas qualem montem ex hoc mure fecerit *Wadingus*.

Nec est prætereundum, quòd post hæc omnia, Archiepiscopus Tuamensis, (licet ex Cordigerorum familiâ) hunc eundem patrem *Iacobum Fallonum* non indignum censuit qui officio Vicarij generalis *Achadensis* Diœcesis fungeretur: hoc enim ipse fateris, pag. 27. Imò & qui Provinciæ Conaciæ Procurator instituerétur, sic enim scribis, pag. 28. Vltimo etiam loco quod Sum. Pontifex, eundem in Vicarium Apostolicum ejusdem *Achadensis* Diœcesis tandem promoverit, pag. 25. Num hi omnes quæso hujus *Falloni* amore ita capti, seu potiùs occœcati sunt, tam summus Pontifex *Vrbanus* Papa 8. quam *Florentius* Archiepiscopus *Tuamensis*, cum toto Clero *Connaciensi*, uti velint hominem criminosum, infamem, ad accusandum & testandum inhabilem, hujusmodi honoribus & titulis augeri.

geri. Et hunc talem dubitarent *Franciſcenſes* admittere in teſtem contra tuos?

Sed quam mihi malè conſulo, qui bonas horas non benè collocо, dum hoc ſylveſtre & brutum animal per acclive & declive, per plana & montana tanto ſtudio proſequor. Sed ſtatutum eſt ab inceptâ venatione non deſiſtere me, donec tam majorem, quam minorem urſam, imò totum illud inviſum, & pernicioſum bipedum urſorum genus ſpeluncas ſuas mendicantium conſtrinxero.

4.

Sequitur jam quarto, & ultimo loco, Ven. vir. *Terent. Coghlan*, I. V. D. in quem *Vrſulanus* magis dicax, quàm facetus, nunc ſarcaſmis, nunc apertis contumelijs hominem petit: ſic ſcil. pium, ſic animatum perfectionis Euangelicæ cultorem, & S. *Franciſci* diſcipulum in ſacerdotem decuit. Imò ſi fas ſit credere.

Hunc morem primus, ſed & hæc convitia lingua
Hauſerit Vrſa minor: Cum te voluere minorem.

Diſpiciamus igitur nunquid ſimile in Regulâ aut Teſtamento S. *Franciſcus* præceperit ſuis Minoribus. Lege igitur *Vrſulane*, imò lege ut Clericus:

Et ſi haberem tantam ſapientiam quantam *Salomon* habuit, & invenirem pauperculos ſacerdotes hujus ſæculi in parochijs in quibus morantur, nolo prædicare contra voluntatem ipſorum. Et ipſos, & omnes alios volo timere, amare, & honorare ſicut meos Dominos, &c.

Benè legiſti *Vrſulane*, hæc enim habentur in Teſtamento tui Seraphici Patris. Sed quam reverentiam Fratres Minores hodie ſacerdotibus exhibent palam

est, cùm planè nulla sit, sed loco honoris & debiti respectus, quem ex justitiâ, communi honestate, & regulâ tenentur illis præstare, omnibus in locis substituitur contemptus, & vilipendium tam personarũ, quàm status clericalis, uti ex superioribus non obscurè vidimus, & ex sequentibus magis elucebit. Non enim spurius ille ex castris Palæstinorum, qui exprobravit agminibus Israel, superbius aut insolentius debacchatus est in populum Dei, quàm hic vir spurius ex castris Cordigerorum in hoc suo *Examine* contra hunc sacerdotem, virum piùm, doctum, & in ecclesiasticâ dignitate constitutum. Sic enim scribit. Tu interim Lector attende.

Ursulanus.

Postremus his Propositionibus testis subscripsit D. *Terentius Coghlanus*, I. V. D. Protho-notarius, & Vicarius Apostolicus *Cluanensis*, cujus in hac causâ attestationem duo reddunt suspectum, nempe ejus ad jurgia, & contentiones inclinatio proclivis, & triennalis ex Hibernia absentia: de ejus ad jurgia maximè contra vicinos religiosos promptitudine multæ possent induci instantiæ, illarum partium vicinis & incolis satis notæ, quæ sufficere deberent ad rejiciendam ejus attestationem; ex decreto *Iulij* Papæ ad Orientales, cap. 33. & *Felicis* 2. Epist. 1. cap. 14. Determinantis. *Nullum qui inimicitijs studet, nullum qui frequenter litigat, & ad accusandum vel detrahendum facilis est, admitti debere.*

Aretomastix.

Ex pronitate, & inclinatione ad jurgia & contentiones, *Ursulanus* arguit hunc R. presbyterum inhabilem ad attestandum. Sed *Aristoteles* 4. Ethicorum, contrarium docuit: Neminem ex inclinationibus aut habiti-

bus

bus bonum aut malum judicandum, sed ex actibus. Et receptum est in omni sanâ Philophiâ, & in Theologiâ est res de fide. Vide super hanc materiam D. *Tho.* 1. q. 62. 3. 3m. & 22a q. 52. 3. Et nota quam ἄλογον nacti sumus animal, ut non mirum sit illum sub personâ ursi non hominis hæc effutijsse absurda. Et miror quòd non ex vultu, & physiognomiâ, quòd non ex chyromantiâ, & inspectione volarum etiam hunc, non judicaverit insufficientem ad ferendum testimonium in quenquam.

Secundo loco Incolas citat illarum partium, sed vage, sed indeterminatè, poterat eâdem facilitate Indos & Antipodes in testes adduxisse.

Vltimo loco appellat Canones quos citando corrumpit. Sic enim se habet textus verbatim & syllabatim 3. q. 5. cap. 10. 21.

Iulius Papa in Rescripto ad Orientales cap. 33.

Similiter in jam præfixâ synodo est decretum, ne suspecti aut infames, aut criminosi, aut gratiosi, vel calumniatores, vel affines, vel scelerati, aut facile litigantes suscipiantur accusatores: sed tales, qui omni carent suspicione.

Item *Felix* Papa 2. epist. 1. c. 14.

Nullus servus, nullus libertus, nullus infidelis, nullus criminibus irretitus, nullus calumniator, nullus qui inimicitijs studet, nullus qui frequenter litigat & ad accusandum, & detrahendum est facilis, nulla infamis persona, vel omnes quos ad accusanda crimina publica, leges publicæ non admittunt permittantur Episcopos accusare.

Vides Lector hic agi de accusatoribus Episcoporum, in quos si preoccupati fuerint, aliquo delicto testimonia niti debent majore firmitate quam in alios, propter honoris gradum, summum illud decus, & eminentiam quam habent in Ecclesia Dei. Num omnes tui

Regulares *Vrsulane* qui infamabantur his heterodoxis propositionibus Episcopi fuerint? haud equidem credo. Interim admonendus es Lector, quod non omnia quæ habentur apud *Gratianum* in decreto sunt juris canonici, sed in quantum illi fuerunt consona, habent suum robur in iudicijs, & authoritatem. Nec novo jure is est delectus testium qui fuit in antiquo, imo nec haberi potest.

Vrsulanus.

Hanc fuisse dicto *Terentio* testandi causam inter alia argumenta, ostendit facilitas ejus attestationis de rebus quæ in *Hiberniâ* contigisse dicuntur, cùm ex *Hiberniâ* totis fermè tribus annis abfuerit: quod tempus ita dextrè distribuit, ut ex novem mensibus, quibus à suo ex *Hiberniâ* recessu in *Galliâ* * deguit, sex forsitan studijs Iurisprudentiæ impenderit; quo brevi tempore, eo devenit sapientiæ, ut honorificum titulum I. V. D. *Aurelijs* in Galliâ adeptus; *Romam* profectus ibidem sesquianno circiter pro Vicariatu Apostolico desudavit, reliquo sui fermè triennij in itinere Romano eundo & redeundo expleto, nuper tandem post triennij circiter peregrinationem; studiaq; sex mensium, onustus protho-notariatu, Vicariatu Apostolico, & Iuris utriusq; doctoratu in Hiberniam profecturus, Parisios advenit, ubi facturus sibi ipsi nomen juxta nomen magnorum in terrâ, Propositiones istas à dicto *Patricio Cahil* facultati *Parisiensi* exhibitas, suo chirographo obsignavit; præstitoq; juramento testatus est, dictas Propositiones à Regularibus passim per Hiberniam in publicis concionibus & disputationibus doceri, & prædicari. &c.

* Non agnoscit Priscian. *deguit.*

Arctomastix

Sic *Vrsulanus*, vel potiùs *Lucianus* irrisioni exponens Ecclesiasticos honores & dignitates, tam in conferentibus, quàm in susci pientibus nimirùm Doctoratum, Proto-notariatum, & Vicariatum Apostolicum, se hominem Anabaptistam potiùs declarat anarchiam in Ecclesiâ molientem, quam virum Catholicum, quam religiosum, quam Franciscanum. Si enim hic noster *Terentius* non piè, & licitè has dignitates consequi potuisset, profectò nec summus Pontifex, aut illa inclytà *Aurelianensis* Academia eâsdem illi contulisse. Quâ enim lanceâ hic, vulnerantur & illi.

Sed jam discipiamus arietes (*Vrsulane*) tuos, puta argumenta & exceptiones, contra hujus *Terentij* fidem in testandò, & in lectoris gratiam in formam reducam quæ tu multis verbis, & crebris dicteriis, per varias paginas diffudisti. Sic enim argumentaris.

Qui fuerit per triennium absens ab *Hibernià*, non poterat exhibere testimonium ex certâ notitiâ de rebus quæ infra illud tempus contigerant in *Hibernià*. Sed

D. *Terentius Coghlan* absens erat ab *Hibernià* ferè per triennium, infra quod spatium illa omnia acta fuerunt, de quibus testimonium tulit coram *Parisiensibus*. Ergo

Testimonium illius non erat ex certâ notitiâ, aut veritati consonum.

Respondeo, in negando minorem extinguitur totus discursus. Ante enim illud triennium de quo tu *Vrsulane* loqueris, hæc Hidra undecim capitum in *Hibernià* nata fuit. Non enim eodem *Phœbo* quo exortum fuerit

hoc deforme monstrum, à *Parisiensibus* simul erat & prostratum. Si enim de temporibus ineas exactum computum, senties omninò istas Propositiones à Clero *Dublinensi* missas ad censuram ad minus integrum annum, priusquam sententiâ *Parisiensium* damnatæ fuerint: deinde ex epistolâ R. Pa. *Iacobi Falloni*, quam tu etiam citas & approbas, cap. 2. in manifesto est, quod ab aliquot annis publicatæ fuerint in *Hibernia*, priusquam ad *Sorbonam* missæ. Imò non verebor affirmare per tres ad minimum messes hæc zizania succrevisse in agro *Hiberbico*, per manus Regularium proseminata, antequam hic noster *Terentius* hâc ultimâ suâ profectione pedem ex Insulâ tulerit.

Sed quid ego tot falsa non alio fundamento quàm unius fraterculi verbo nixa, laboro argumentis labefactare, nonne par erat ut eâdem facilitate rejicerem quâ sunt impudentiâ conficta? Sed pergamus ad cætera.

Vrsulanus.

Potuit hæc causa ad inducendam infamem illam attestationem sufficere; sed non sola fuit, nec principalis; sed accessoria tantùm, ad inimicitiam contra Regulares conceptam propter alium quendam sacerdotem D. *Cormacum Higinum* nostro huic doctori *Terentio*, ex sorore nepotem, qui cum ultimâ æstate subitaneâ, & improvisâ morte sublatus esset in pœnam fortè diutini sui adversus Regulares odij Doctorem *Terentium*, indignationis suæ & ultionis hæredem reliquit, cujus fortè hæreditatis possessionem ex nunc accepturus, hoc suum testimonium adversus Regulares exhibuit. &c.

Arctomastix.

Arctomastix.

Hic bonus presbyter *Cormacus Higons*, est jam ordine quintus, in quem tua bilis (infamis libellator) intumuit, & in multas, & immeritas contumelias contra charitatem, & bonum tui proximi se exoneravit. Erat hic quidem adolescens pius, & pro ætate, imò supra doctus, & hoc noverunt, quicunq; illum. Nec tu *Ursulane*, per Canones, aut Ius civile, unquam eris Iudex in causâ illius, cui vivo semper cum tuis symmistis eras inimicus. Quis igitur eris? Convitiator, obtrectator, obmurmurator. Sed nota (Lector) & detestare vulpem ingenij in hoc versipelle, qui justam defensionem imò necessariam hujus presb. à maximis sibi illatis injurijs & persequutionibus, nec ab alijs (qui fidem profitentur catholicam) quam à solis Minoritis interpretatur odium in omnes ordines Regularium, & hoc quo commodius suam contegat malitiam, licentiùs mordeat, & majorem defuncto confiet invidiam. Dicas enim mi homo, cui ex ordine Monachorum *Dom. August. Carmelitarum, Capucinorum, Iesuitarum* molestus erat hic? cui infensus? cui odiosus? aut quis illorum illi? certè nullus: quippe pacis semper studiosissimus erat, quem tota civitas *Dub.* propter crebras quas ad populum habuit conciones, & suavissimos mores uti vivum semper charum habuit, ita defunctum flevit. Et meis verbis si minus fidem habeas, at saltim commendatitijs literis, quas mœstissimis animis, tam cives, quam Ecclesiastici omnes illi sub discessum dedere fides habenda est. Sic enim (hanc pœnam nostris exigentibus peccatis) Deus voluit, uti post Oratoriorum nostrorum in hâc civitate partim demolitionem, partim confiscationem à Magistratu, coactus sit hic non

minus

minus quam alij tempestati cedere, solum vertere, & se rus conferre uti otium studijs & musis qualemcunq; quietem nanciscerentur. Cùm ecce cessante Euro, continuò flavit Boreas, & hic vitans *Charibdem* incidit in *Scyllam*, graviores (inquam) ærumnas, persequutiones, & molestias, à tuis Cordigeris illi rure excitatas, quam prius à Magistratu erat in civitate expertus. Accidit enim sinistris avibus, ut hic bonus presb. in partibus juxta *Atlene* commorans, & paucos adolescentes, humaniores literas eruditus habuit in confinio & tractu illo conventum Cordigerorum, heu sibi nimis vicinum, qui ægrè ferentes quenquam ex Clero sacerdotem qui à Domino acceperit aliquod talentum ingenij aut eruditionis, aut secum, aut juxta se habitare, & domicilium habere concitârunt in illum, (quod huic ordini cum alijs etiam solemne est) omnes sibi devotos, & devotas, amicos & amicas, affines, familiares, adhærentes, (ingentem hodie turbam) quibus persuasum, aut potius in mandatis erat à fratribus, uti non consilio, non auxilio, non ope, aut adjumento illi adessent, non sacra illius audirent, non conciones frequentarent. Imò uti illum angustiatum, & rebus omnibus egentem è suis finibus (quod facilimum factu erat) extorrem facerent. Noverint enim universi, quotquot in hoc hæmisphærio aut inferiori degunt, quòd in tantum numerum, potentiam, & authoritatem aucti sunt hodie fratres Mendicantes (fugientes disciplinam monasticam, quæ in alijs Europæ partibus viget) quòd in his Insulis Boreali fideri subjectis, adeò populo formidabiles facti sunt, uti hodiè ferè nullus reperitur, qui illorum imperata detrectare audeat, aut contra illorum placita mutire. Nos verò antiqui Cleri reliquiæ, successores Apostolorum, & 70. discipulorum, quasi purgamenta

hujus mundi facti sumus, & omnium peripsema horum oculis usq; adhuc æstimamur, licet speramus, imò nec dubitamus nos à primis temporibus plantatos fuisse in domo Dei & in atrijs domus Dei nostri, & quibus à Salvatore in persona discipulorum dictum sit: *Ego vos elegi, & posui vos ut eatis, & fructum afferatis, & fructus vester maneat.* Idq; in secundum adventum magni patris-familias credimus & profitemur.

Sed jam profsius ad præfatis instituum. Primò supponis pro vero, quod omninò probandum fuerit, quòd hic ven. sacerdos *Cormacus Higons*, hujus *Terentij* nepos ex sorore, fuit inimicus Regularibus, sed quia hoc nullâ probabilitate persuades, eadem levitate rejicitur, quâ asseritur, & magis piè.

Secundò præsumis dicere, quòd idem *Cormacus* instituit in hæredem indignationis & ultionis suæ adversùs Regulares hunc *Terentium*. Respondeo, quòd unius accusatoris verbo, imò Libellatoris & infensissimi hostis non est fidendum. Sed hoc scio quod detegere, & detergere infamiæ maculas proximo nostro, & præcipue post fata asperfas, pium, laudabile, & honestum est: & contrarium moliri, turpe apud gentes, nedum Christianos.

Tertiò non vereris affirmare. Quòd hic *Terentius* fortè hanc hæreditatem & possessionem sui nepotis indignationis in Regulares etiam accepit. Ad quod respondeo. Quòd dato quòd illæ duæ gratis præsumptæ & omni ex parte confictæ propositiones certæ & indubitatæ essent; Fortè tamen hic *Terentius* non accepit istiusmodi hæreditatem a nepote suo. Potest enim aliquis illud mihi legare, quod ipse nolo acceptare. Verùm sine ullo *fortè* hanc hæreditatem tibi ex asse relinquo. *Detractatores Deo sunt odibiles.* Rom. 1.

Sed (quod caput est omnium detractionum & calumniarum) addis & hoc maximè luculentum mendacium. Quòd hic ven. sacerdos *Cornacus Higons*, ultimâ æstate subitaneâ & improvisâ morte sublatus erat: & uti in omnibus irreligiosum te, & malitiosum monstres, addis (judicans alienum servum, & ante tempus) in pœnam fortè diutini sui adversus Regulares odij.

Si illud *Aristotelis* sit verum. *Ethicor. 3.* Quòd omnium terribilium, terribilissimum est mors. sine dubio & insperata, quam ab Ecclesiâ docemur deprecari dicentes in majoribus Litanijs. *A subitaneâ & improvisâ morte libera nos Domine:* licet illud *Aug.* de civitat. Dei lib. 1. nos consolatur dicentis. *Mala mors putanda non est, quam bona vita præcessit.* Quod verò ad obitum hujus presbyteri spectat, postquam hæc tua legerim, (licet contrarium communi famâ delatum ad nos accepissem) posui in animo meo omnia ad amussim explorare, quod & eo facilius mihi & minus laboriosum fuit, quod non adeò multis parasangis à loco in quo moriebatur distamus & nos, sufficientem proinde, si non superfluam adhibui diligentiam, quo ab oculatis auritis, & præsentibus testibus certior fierem, tam de modo infirmitatis, quam de tempore quo hic ven. presbyter communi mortalitate exutus, hoc terrestre tabernaculum deposuit. Et intellexi, quòd à Dominicâ usq; ad sequens Sabbathum (incluso utroq; termino) ægrotavit, imò maximâ ex parte decubuit, correptus acutâ febre, ex subitaneâ & inexpectatâ quorundam militum inquisitione, qui missi erant à Magistratu, ut illum comprehenderent, & vinctum adducerent ad supremos hujus regni Iustitiarios, tam propter fidei professionem, quam quod contra edictum regium quosdam adolescentes, & studiosos, humanioribus literis

imbuisset

imbuisset, (quod in his partibus præceptoribus catholicis omninò est inhibitum.) Et quia de loco in locum acri indagine hi milites (numero quindecim) illum prosequebantur, nulla dabatur illi quies ad curandam infirmitatem, qua indies ingravescente die septimâ sub primum gallum ex hac luce discessit in villâ de *Ratin*, Diœcesis *Medensis*, in gremio dilecti sui medici *Donati O Sheal* postquam Catholico, & maximè christiano more confessus esset sua peccata paucis antè diebus, cuidam fratri ex ordine *Dominicanorum*, qui nominatur *Conner Goghagan*, & est prior sui ordinis in oppido de *Trim*. Hi omnes, & quotquot in illâ viciniâ morantur, in præmissis conveniunt, & quòd hic moriturus usum rationis habuit usq; ad extremum halitum, quo animam in manus Redemptoris sui, piè & devotè reddidit. Et sic habetis fata venerabilis hujus sacerdotis *Cormaci Higons*, cujus memoria sit in benedictione.

Iam judicet Lector, quam verè, quam piè, quam religiosè hic frater *Vrsulanus* scripsit de hoc argumento, & utrum mors illa dicenda sit inopinata, quam infirmitas septem dierum præcessit. Profectò frater *Edmunde Vrsulane*, tuus *Iohannes Duns Scotus*, de cujus subtilitatibus tantum gloriamini, non tam placidâ morte quievit: sed ne egrediar hoc ipsum territorium in quo vivimus. Non ille frater tui ordinis,* qui (non ita pridem) sub mœnibus hujus civitatis exuens se vestibus ad lavandum corpus in hoc ipso flumine *Eblana*, quod illabitur urbem, demersus est.

* *Iacobus Malachlin.*

Nec profectò ille alius tui ordinis frater, qui* à cœnâ decedens cubitum, sanus & incolumis, apud *Masetonne*, Medensis Diœcesis post unam (plus minus) horam inventus est mortuus.

* *Laurentius Tath.*

Quid memorem mortem nequissimam Franciscani

 etiam

* *Georgius Barwell.*

etiam fratris, * qui in proximâ villa de *Temple Oe*, tribus ab hinc annis, seipsum ex arbore pomiferâ suspendit laqueo, prophanans in triste ministerium ipsum funem seu chordam quâ erat succinctus lumbos, & quæ est pars *habitus*. Haud ignota cano, sed quæ in oculis, auribusq; sunt civium, & nostris.

Hæc hæc sunt fata subitanea, tristia, & improvisa, à quibus pro suâ pijssima & immensâ misericordia liberet nos Dominus, & tibi *Vrsulane* det animum ad salutarem pœnitentiam agendam si tibi forsitan ignoscat Deus de omnibus malis quæ cogitasti & scripsisti contra Clerum Domini, & Christos ejus. Et nunc expendamus caput secundum.

CAP. II.

In quo agitur de medijs quibus Vrsulanus *affirmat illas undecim Propositiones exhibitas fuisse* Parisiensibus, *ubi de literarum interceptionibus & malo dolo* Vrsulani *Author conqueritur.*

IN hoc capite, *Vrsulanus* se literarum epistolarium, aut manifestum resignatorem, aut certè rerum nunquam in rerum naturâ existentium commentatorem improvidus agnoscit. Primo enim loco, & ante omnia recenset quasdam petiodos desumptas ex duabus epistolis D. *Iacobi Faber*, ad quosdam amicos suos, Italiam insuper ex reseratis chartis cujusdam sacerdotis anonymi at intimi (ut inquit *Vrsulanus*) D. *Patricio Cahil*, ex quorum scriptis multum disputat de modis, medijs, & vijs, quibus illæ undecim Propositiones in

manus

manus Doctorum *Parisiensium* pervenerunt, eorumque ferulæ factæ sunt obnoxiæ.

At imprimis (*Vrsulane*) abs te quæro, quo jure tibi concessum fuerit tres istas epistolas (non à tuis ut fateare missas, non ad te, imò neq; ad homines tuarum partium datas) referare & recludere, uti aliorum arcana tu expiscareris? Nosti enim, aut certè novisse te oportuerit te tam prævaricatorem mandati, & te adeò furem meorum consiliorum in aperiendis literis ad me missis (me inconsulto) ac si ex meâ arcâ supellectilem meam ibi repositam (inscio me, & invito) furunculus surripuisses. Sed eadem potestas (nimirum tenebrarum) quæ te apertum latronem aliorum existimationis, & boni nominis in hoc tuo infami libello fecerit, te utiq; clancularium expilatorem, & occultum furem aliorum consiliorum, in violando tres illas epistolas totidem sigillis munitas manifestaverit. Neq; quòd tu, & tuæ farinæ homines in hoc vitio occaluistis, non esse iccircò peccatum tibi nequicquam persuadeas. Imò vel ingens certè est & enorme crimen privatis aliorum consilijs insidiari, uti illa in lucem postmodum evulgata in rem tuam convertas.

Tu fortassè *Vrsulane*, ad hæc respondebis, te nullius hominis epistolas violasse aut recluisse, quin imò de manu ad manum, ad tuas tandem manus apertas perveniisse, & relectas. Fateor hoc pium foret de nonnullo credere, de te non item. Non enim is es, de quo talia prudenter præsumi possunt, cum te in hoc tuo libello contumelioſum, inflatum, nullius famæ parcentem, impostorem, imò experti sumus falsarium, & mendacem ut octo. Et est regula juris: *Qui semel est malus, in eodem genere semper præsumitur talis*. Imò de homine tot tantisq; criminibus irretito, non prudentiæ, sed extremæ

dependentia foret in dubijs benè judicare. Est enim prudentia (juxta *Aristotelem*) *Rectaratio agibilium. Ethicor. 6.* & tam in Theologiâ, quam omni alteriore Philosophiâ rectrix & moderatrix omnium virtutum, & sine quâ ipsa virtus (ut ita dicam) suam virtutem amittit. Illæsa ergò manet pietas, quoties te (*Vrsulane*) multelam in adversariorum tuorum chartaceâ scriniolâ & conciliorum archivâ, clam & insidiosè serpentem dicimus.

CAP. III.

In quo conqueritur Vrsulanus *de injuria facta Regularibus* Hibernicæ *nationis, eo nomine quod undecim ista Propositiones dicantur passim à Regularibus in* Hibernia *prædicari & publicari.*

PRimò quod ad istud *passim à Regularibus in Hibernia* attinet, positum in titulo ad censuram *Parisiensem*: poterat *Vrsulanus* observasse (si non calumniandi studio nimio efferebatur) restrictum alibi ad quosdam Regulares, quæ restrictio posita est in proœmiali immediatè censuram antecedente, his nimirum verbis. *Rogati quatuor illi prædicti sacerdotes num aliquid audivissent, & rescirent de prædictis Propositionibus, testati sunt ex animi sui sententia, eas in Hiberniæ partibus, passim à Regularibus quibusdam doctrinæ defendi.* Vides *Vrsulane*, non omnes *Hiberniæ* Regulares tuorum testimonijs agi reos tam perverforum dogmatum. Quis enim verò vel omnes Hiberniæ Regulares nôsse, nedum enumerare, nedum accusare potis est? Illorum igitur non nulli

non

non omnes trahuntur in hanc prævaricationem. Imò licet indefinitè scribam, passim à Regularibus hosce Propositiones defendi. Non continuò κατὰ πάντος intelligendæ sunt hujusmodi locutiones, sed pro subjecta materia. Non enim qui dicit, *Homo ambulat*, statim intelligit omnem hominem ambulare. Licet ut quod sentiam dicam, dum Regularium pars hujusmodi pseudo-dogmata defendant (reliquis scientibus, & tacentibus) omnes eâdem porrigine laborare, non immeritò videantur. Quippe universi quotquot sumus ecclesiastici pro virili tenemur lupos in vestimentis ovium venientes, gregibusq; insidiantes non publicare solùm, sed & profligare, sed & propulsare. Quæro autem à te *Vrsulane*, qui tam iniquo animo tulisti hos errores impingi tuis Symmistis & consodalibus in *Hibernia*, & de modo loquendi tam anxius es & solicitus, ut neq; Propositiones istas Regularium *Hibernorum*, neq; *Hibernicas* ullo modo permittis vocari: quæro (inquam) abs te, si vel duo ex fratrum minorum turba, pestem ex *Hibernia* in *Gallias* (quod malum Deus avertat) intulerint. Num tu statim cum Gallis logomachiam institueres, si fortassis dixerint quòd *Franciscani Hiberni* morbos pestilentiales in suas terras, urbes & provincias introducerent, & de loquutionis formula apud illos rixari velles. Sint ergo paucissimi, imò si placet vel bini ex Regularibus *Hibernis*, qui has pestilentissimas Propositiones procuderint, & procusas mundo propalaverint non est ἄλογον, illas absolutè appellare, & Regularium *Hibernorum*, & *Hibernicas*. Dedisce igitur *Vrsulane* jam tandem ista puerilia, & permitte nos sapere cum paucis, & cum turba loqui. Ast ego priusquam manum de tabula subduxero, planè ostendam, non paucos, sed multos ex *Hibernis* Regularibus divulgatores fuisse istarum undecim

decim Propositionum, de quibus tanto cum stropitu hodiè inter nos digladiamur. Et ad hoc faciendum me recto filo in sequentibus deducis.

Prsalantis.

Quòd si verò aliquas ex his Propositionibus in sua præsentia publicè prædicari audierint viri tam eminentes, (utpote Vicarij generales) non debebant ignorare decretum S. Concilij *Trid.* decernentis in similibus religiosorum excessibus recurrendum primo ad delinquentis superiorem, quo negligente correctionem, locus esset recurrendi ad Episcopum loci, in quo tales excessus committi contingeret, sess. 25. can. *Regularis.* Ostendant si quem talem recursum ad Regularium superiores, vel Episcopos locorum ipsi fecerint, uti scire poterant fieri debere, & factum fuisse in libello illo sacerdotis *anglì Dublinij* commorantis, quem Archiepiscopus *Dublinienſis* sibi exhibitum (simul cum opposita responsione) serio examinans, responsione approbata, & intacta, libellum tanquam pernicioſum legi aut servari prohibuit, similem fortè suæ calumniæ pœnam isti meruebant, si fictitias has, & infames Propositiones exhiberent ullis Episcopis in *Hibernia*, ubi fieri posset investigatio veritatis, & fraus calumniantium detegi, quòd ipsi etiam delatores fateri debebunt, aut omnes *Hibernie* Episcopos eidem diffamationi & Propositionum illarum assertioni involvere.

Arctomastix.

Dico facile est ostendere talem recursum feciſſe nos in materia undecim Propositionum ad Episcopos locorum, qualem tu desideras. Intimata enim, & exposita fuit istarum Propositionum perversitas, idq; non semel

mel priusquam ad *Parisienses* delatæ fuerint Diœcesano nostro. Primò præsente Clero, & fratribus Cordigeris in Collegio S. *Audoeni* apud *Dublinienses*, anno Dom. 1629. mense Martij, dies mihi excidit. Sed fateor egimus sub iniquo judice causam: quippe cui (ejusdem tecum ordinis) cum defensoribus horum dogmatum arctior erat necessitudo, quam ut illis nigrum præfigi *Theta* voluit. Secundò præsentatus fuit liber manuscriptus fr. *Thomæ Strong* Cordigeri, in quo sex illarum Propositionum ad oculum & in terminis continentur & docentur. Si quæras quo loco? Respondeo, non alio quam civitate de *Kilkenni*. Quibus testibus & præsente Ill. *Casilienſi* Archiepiscopo: R. *Osorienſi*, *Fernenſi*, *Corcagienſi*, *Waterfordenſi* Episcopis, mense Augusti 1628. præsente Archiepiscopo *Dublinienſi*, cui illud manuscriptum coram tot Ecclesiæ Prælatis, exhibitum à me *Paulo Harrisio* erat, imò & in facie ipsissimi Authoris Fr. *Tho. Strong*. Sed dicis quid actum? Quid conclusum? Sanè ut cum *Petro* respondeam, per totam noctem laborantes, nihil cepimus. Etenim illi præclari Antistites, & *Hiberniæ* Ecclesiæ non magis ornamenta, quam firmissimæ columnæ, minus ad se spectare reputabant, (quandoquidem malæ illæ herbæ, aut omninò aut maximâ ex parte in *Dublinienſi* agro excrescebant & luxuriabant) illas suis manibus extirpare & refodere, præsertim cùm id commodius à proprio agricola & messoribus possit fieri. Relictum ergo erat hoc totum negotium curæ Ordinarij nostri, cui ex officio incumberet castigare & expungere quicquid erroneum in illo manuscripto reperiretur. At quid postmodum noster *Dublinienſis* Antistes? Num illud illaudabile & illetabile opus unquam examinavit, aut correxit, imò tacitâ potius approbatione comproba-

vit, legà relegique passim permisit. Infixum est enim Diœcesano nostro *Franciscano* nullam pati maculam iuuri (licet justissimam) cuipiam ex suo ordine fratrum.

His ita domi peractis, (& nullo pharmaco in tot malis reperto) detulimus tandem illepidas illas Propositiones censuræ *Parisiensi* non moderno aut recenti aliquo exemplo, sed antiquorum temporum: Quis enim error in fide? aut quæ hæresis unquam in ecclesiâ exorta est? imò aut demortua revixit? quæ nigro lapide de Sequanâ desumpto, se non notatam & atratam viderit? Quis unquam ex Romanis Pontificibus damnaverit ullum dogma, qui non prius ad hunc lidium lapidem illud exploraverit? Vt antiquiora non commemorem: Testis sit *Lutherus* & *Calvinus*, sub primâ incunabulâ hoc indice notati & reprobati, adeò ut multò iniquius tulerit *Lutherus* se à *Sorbona* doctoribus declaratum hæreticum, quam à *Leone 10.* nunc temporis Romano Pontifice. Imò & acrius suis scriptis debacchatus est in hos, quam in illum *. Quorum ergò judicium & censuram in gravissimis ecclesiæ causis, quorum opem, & subsidium viri ecclesiastici in maximis Christianæ reipub. tempestatibus implorare solebant: imò quos ipse *Petrus* ad clavum in puppi sedens in ecclesiæ regimine secum esse voluit, non dedignatus (quoties opus fuerit) annuere socijs, qui erant in altera navi, nimirum *Parisiensi* ut venirent, & adjuvarent se. Horum *Hiberni* in fide periclitantes, consilium & auxilium non explorarent? Non expeterent? Non magni facerent? Hoc modo neutiquam prætereuntes, aut postponentes (uti Regulares malitiosè clamitant) *Petri* judicium; imò potius his medijs, ceu gradibus ad Apostolicæ sedis culmen, & augustissimum magni pa-

* Vid. Luth. contra Henr. 8.

storis

ſtoris tribunal accedentes, cujus unius tam voci, quam vocem, in omnibus auſcultare ſemper ſunt paratiſſimi.

Poſtquam verò Hiberni eccleſiaſtici *Pariſienſium* doctorum cenſuram ſuper iſtis Propoſitionibus, quam diù & avidè expectaſſent tandem recepiſſent, ecce deſiderata pax ſuavi ſaltim voce, & vultu tenus, viſa eſt quaſi in momento eccleſiæ *Hibernicæ* adblandiri. Imò adverſariorum nonnihil conprimi, & retundi audaciâ, ac ſi condemnatas condemnare illis magis elaborandum foret, quam ulterius defendere aut publicare, nullumq; non movebant lapidem, quo iſtam labem abſtergere, & a ſe amoliri de cætero poterant, magnâ voce (licet inverecunda) inficiantes ſe authores, aut patronos illarum unquam extitiſſe. In hoc ſtatu rerum, ſacerdotes *Dublinienſes* tantâ *Pariſienſium* religione & humanitate moti, literas officio plenas, ad Ill. & Rev. *Gallicanæ* eccleſiæ antiſtites, & ſapientiſſimos doctores ſacræ facultatis dederunt, quarum ſaltim exordium hic apponere non gravabor.

Ill. & Rev. Patribus Archiepiſcopis & Epiſcopis Gallicanæ *eccleſiæ, unà cum ſapientiſſimis Doctoribus ſacræ facultatis Theolog. apud* Sorbonam, *ſalutem.*

Cùm non ita pridem ex *Hibernia* undecim Propoſitiones à nobis miſſæ, exhibitæ fuerint inclytæ *Pariſienſi* Univerſitati examinandæ, à quatuor ſacerdotibus nationis *Hibernicæ* viris longè integerrimis, quique fidem fecerunt eaſdem apud *Hibernos*, à quibuſdam Regularibus paſſim defendi, & publicari tam in concionibus, quàm diſputationibus & familiari ſermone. Nos presbyteri & paſtores civitatis *Dublinienſis* (quæ

totius *Hibernici* regni caput est & Metropolis) contestamur prædictis sacerdotibus, & fratribus nostris in Ch. plurimum honorandis illos testimonium bonum, fidele, & omni ex parte veritati consonum præbuisse, quicquid in contrarium dicunt aut scribunt Regulares conterranei nostri earundem Propositionum authores, & assertores, &c.

Iam vides *(Vrsulane)* omnes illas diligentias quas tu tantoperè à nobis desideras, adhibitas fuisse, nimirùm in expendendis illis undecim Propositionibus, tam domi quam foris. Primò apud Diœcesanum nostrum, præsentibus tam de Clero, quàm de fratribus viris gravissimis. Secundò apud eundem Ordinarium nostrum Archiepiscopum (inquam) *Dublinien sem*, præsentibus quinq; alijs, partim hujus, partim aliarum Provinciarum Episcopis, quos paulò ante memoravimus. Tertiò apud Antistites *Gallicana* ecclesiæ, & *Sorbonicos* doctores, uti impressa illorum censura refert.

Quod verò dicis nos debuisse in similibus Religiosorum excessibus recurrere primò ad delinquentis superiorem, quasi illius judicio & animadversioni in istiusmodi criminibus, (qualis est hæresis, aut malè sana doctrina) standum foret, non sum in tuâ sententiâ, nec Concilium *Trident.* te quicquam in hâc causâ iuvat. Non enim loquitur Concilium de perversis dogmatibus, sed de pravis Religiosorum moribus in pessimum exemplum fidelibus. Sic enim se habent verba Concilij à te citata.

Regularis non subditus Episcopo, qui intra claustra Monasterij degit, & extra ea ita notoriè deliquerit, ut populo scandalo sit, (Episcopo instante) à suo superiore intra

intra tempus, ab Episcopo præfigendum severè puniatur, ac de punitione Episcopum certiorem faciat, sin minus à suo superiore officio privetur, & delinquens ab Episcopo puniri possit.

Vides (*Vrsulane*) nihil hic agi de erroribus & pernicioſis in fide dogmatibus. Sed potius de ebrietatibus, de furtis, de ſcortationibus, de rixis, & rapinis, quæ non rarò perpetrantur à vagabundis monachis, & Regularibus viventibus, aut moram facientibus extra ſepta monaſterij, in magnum populo ſcandalum, & non exiguum ſuo ordini dedecus, & dehoneſtamentum, in quas fæces hominum neſcio quis Author veridicus aut hoc, aut ſimili carmine olim luſerit.

Non dij, non homines, non Styx inferna quod audet
Effrenis monachus, plenaq; fraudis anus.

Hujuſmodi inquam exceſſus Concilium voluit inſtante Epiſcopo à proprijs ſuperioribus puniri, vel (negligentibus illis debitam correctionem) abs Epiſcopo. Concilium verò non detulit ſuperioribus Regularium, ut eos conſtitueret judices in caſu Hæreſis, aut ubi fides quacunq; inſinuatione diminutionem pateretur, quin potius Regulares, ſive fuerint Monachi, ſeu fratres cujuſvis ordinis taliter delinquentes, & reperti non ſolùm extra, ſed & intra clauſtra, imò ex ipſis proprijs Monaſterijs, ad nutum Epiſcopi aut Inquiſitorum, extrahuntur primò ad carceres, deinde ad tribunalia eccleſiaſtici magiſtratus, ut referant juxta opera ſua, & prout geſſerunt. Dico enim cum *Barboſa Alleg. 105. 56. In cauſa Hæreſis Regulares omnes etiam exempti ſubjacent Epiſcopi judicio, ut probat textus ad cap. Ad abolendum § fin. de Hæreticis, & in cap. ut officij § Denique eod. tit. in 6. Maynard. deciſ. 25. lib. 1. Triviſan. deciſ. 36. num. 2.*

Vnde rectè *Pena in direct. Inquisit*, p. 3. quæst. 28. com. 78. vers. Iustissimè. asserit hujus causæ cognitionem contra quoscunq; à cæteris abdicatam, rectissimè ad solos Inquisitores, sive deligatos, sive Ordinarios delatam, & non posse Regulares hodie judicare suos subditos in causâ hæresis. Imò teneri omnes, & quascunq; causas de hæresi suorum Monachorum qualitercunq; exemptorum ipsius pravitatis inquisitoribus, vel Ordinarijs locorum vicinioribus terminandas committere, ipsosque fratres, & Religiosos, quos hæresis labe infectos, vel suspectos etiam in visitationibus esse noverint, absq; aliâ consultatione eisdem inquisitoribus vel Ordinarijs locorum vicinioribus denuntiare decidit S.D. *Paulus V.* Felicis Record. constit. sua 26. *Kalend.* Septemb. 1606. Incip. *Romanus Pontifex.*

Mirum est (*Vrsulane*) quomodò hæc te latuerint, qui velis videri tam acutum cernere, quam vel aquila vel serpens *Epidaurius*. Sed desino mirari te in perfidiâ tuorum nos ad superiores tuos remittentem, quando te fraterculum video tribunal haud tuum ascendentem, & *Examen Iuridicum* instituentem de Ill. Archiepis. *Parisiensi* & Doctoribus sacræ facultatis, imò sententiam ferentem, non solùm contra Doctores *Sorbonicos*, sed & universos etiam Episcopos *Gallicanæ* ecclesiæ. Enimvero te non diutius fratrem minorem, sed fratrem majorem nominabimus. Non *Guardianum* paucis ab hinc mensibus propter seditionem depositum, miserèq; *Lovanienſi* conventu extrusum, (atq; uti remeare in patriam tibi famelico necesse foret) sed Primatem, Patriarcham imò si dijs placet, vel summum Pontificem in rebus maximi momenti, omnibus Ecclesiasticis jura dantem. Ast,

Vrſe quid infrendis? vis tu rex eſſe ferarum?
Vrſe cares caudâ, non eris ergo Leo.

Deſcende tandem de tripode tuo jam ſemel depoſite, iterumque deponende. Deſcende (inquam) fratercule infamis, ſic vult, ſic jubet frater *Roberius*, tibi non ita pridem ſubditus in conventu *Hibernorum Lovanienſi*, & in æternum juſtiſſimis de cauſis Antagoniſta factus acerrimus. Noſtin' Fratrem *Ioſephum*, Commiſſarium generalem? Cornu petit ille caveto *. Hæc loquutus ſum tibi, aperiens os meum in parabolis; veniet autem hora cùm non in proverbijs loquar, ſed palam, ſed clarè, ſed apertè, cùm te tuoſq; mores graphicè, magiſq; ad vivum depinxero.

* Iam revelatus eſt homo peccati, qui ſe nominat *Franciſcum Mathæum*, ſed vero nomine *Edmundum Matthæum*.

Pergis narrare proceſſum habitum ab Ordinario *Dublinienſi*, in manuſcriptis ſacerdotis *Angli Dublinij* commorantis, & Fr. *Thomæ Strong* Cordigeri, quomodò Archiepiſcopus utriuſq; ſcripta ſerio examinans reſponſione (nimirùm fra. *Tho. Strong*) approbata & intacta, libellum *Angli* Sacerdotis tanquam perniciosùm legi aut ſervari prohibuit. Quòd ad hanc narrationem attinet, dicam cum Comico Antiquum obtines, habitum ſemper mentiendi tibi reſervans, neſcio an ordinis. Faſſus eſt enim Archiepiſcopus *Dublinienſis* poſt publicam factam cenſuram libelli, ſive manuſcripti ſacerdotis *Angli*, idq; *Dublinij* per omnia Oratoria, ſe haud ſemel aut unquam legiſſe, & minus examinaſſe reſponſionem iſtam fr. *Thomæ Strong*, & hoc non dubitavit agnoſcere coram tot Prælatis in civitate de *Kilkenni*, illam (inquam) reſponſionem non viſam, non lectam approbans, quæ occaſionem dedit tot ſciſmatum, tot offenſionum, tot ſectarum in *Hibernicâ* eccleſiâ, qualia nobiſcum poſteritas & horrebit & lugebit. Præterquam enim quòd illa ſcripta reſponſio iſtius

istius Cordigeri ad presbyterum *Anglum* plurimis hetero-doxis scatet, asserit insuper & defendit, idq; luculenter & in terminis sex istarum undecim Propositionum quæ à facultate Parisiensi primò notatæ, plenius postmodùm à Cardinalibus reprobatæ, novissimè à sede Apostolicâ condemnatæ fuerunt, prout in progressu statim videbimus.

Videant *Hiberni* Præsules, advertat Clerus, observent parochi, qualem Antistitem hodie *Dublinienses* habent, (imò ut cum humilitate & ea quæ me decet observantia in sedem Apostolicam dicam,) videat summus Pontifex quali pastori gregem Dominicum commiserit pascendum & regendum, qui mavult sacerdotem sæcularem, catholicum & orthodoxum, tot ærumnas, tantas miserias perpessum tot persequutionibus partim à falsis fratribus, partim ab hostibus externis, fideiq; inimicis domi forisque probatum toties è rostris sanam doctrinam populo inculcantem, tot libros in Catholicæ ecclesiæ defensionem contra sectarios evulgantem, indictâ causâ, non vocatum in jus non insimulatum alicujus criminis, aut erroris per totam vitam, eligit inquam potiùs talem condemnare innocentem, quam animadvertere in pseudo-monachum *Franciscanum* hominem inquietum, & pestilentem, prava & absurda dogmata tàm è suggestu & subsellijs, quam scriptis opusculis populo propinantem. Imò mentior, si hujus monachi scripta, partim athea, partim hæretica, Archiepiscopus non detrectet approbare, si non pergat laudare, si non dubitet publicè, & per omnia Oratoria in missarum solemnijs summis elogijs condecorare. Quod clarissimè hoc subsequens edictum testatur.

Nos

Nos frater *Thomas Flemming* Archiepiſcopus *Dublinienſis*, Primas *Hiberniæ*, chariſſimis clero noſtro, & laicis hujus civitatis & Diœceſis *Dublinienſis* optamus ſpiritum pacis & charitatis.

Quandoquidem Pater *Paulus Hariſius* presbyter, in quodam ſuo ſcripto quod intitulatur, *correctio fraterna &c.* accuſavit Patrem *Tho. Strong*, Guardianum fratrum minorum hujus civitatis *Dublinienſis*, de quibuſdam hæreticis, & ſcandaloſis propoſitionibus prolatis & pronuntiatis per eundem Patrem Guardianum, in concione quadam facta per eundem in feſto *S. Dominici* proximè præterito. Nos pro paſtorali noſtrâ curâ & zelo, cum debitâ deliberatione maturè examinantes rem iſtam, & invenientes quod prædictus Guardianus fuerit injuſtè accuſatus, & immeritò taxatus à Patre *Hariſio*, per ſiniſtram informationem illi factam à quibuſdam, qui perperam conceperunt & intellexerunt verba, ſenſum, ſententiam, & diſcurſum prædicti Patris Guardiani, in ſuperius dictâ concione.

Ad manifeſtandam iccircò innocentiam præfati patris *Tho. Strong*, & in ſatiſfactionem tam prædicti patris *Thomæ* in particulari, quam omnium Regularium in generali. Et uti pax, concordia, & charitas obſervetur inter clerum ſæcularem & Regularem ordinamus, & per has præſentes mandamus ſub pœna Excommunicationis ipſo facto incurrendæ, quòd de noſtrâ Diœceſi nemo Clericus, vel Laicus præſumet ex hoc tempore legere, evolvere, ſervare, retinere, aut celare ullam copiam, ſive Originale ex ſcriptis prædicti *Harriſij*, nominatim verò *Olfactorium*, ſive *flores* vel *fraternam correctionem* factam contra Patrem *Strong*, verùm quòd præſentabunt ea ſtatim, aut nobis, aut vicario noſtro generali.

Porrò mandamus, quòd nullus ex hoc tempore præsumet scribere, publicare, aut imprimere ullam scripturam hactenus scriptam de prædicto argumento, absq; speciali nostrâ licentiâ & approbatione.

Et sub pœnâ prædictæ censuræ mandamus, quòd hoc nostrum decretum, placitum, & prohibitio publicetur in omnibus sacellis, tam Regularibus, quam Sæcularibus infra hanc civitatem *Dublinienſem*, in altari tempore Missarum, in die 25. hujus mensis proximè sequenti datum harum literarum. Datum per nos Martij 23. 1627.

Fra. *Tho. Fleminguus* Archiep.
Locus sigilli. *Dublinensis*, Hiberniæ Primas.

Vides (ingenue Lector) ex hâc cathedrâ *Dublinienſi* quasi in speculo, *Arium* defensum, *Athanasium* condemnatum; *Vigilantium* laudatum, *Hieronymum* reprobatum; *Paulum* reprehensum, pseudapostolos magnificatos. Deniq; *Barrabam* dimissum, & *Christum* morti adjudicatum. Vides enim in hoc rescripto sive edicto Archiepisc. *Dublinensis* innocentiam Fr. *Thomæ Strongi* ord. S. *Francisci* strenuè assertam, imò populo per cuncta altaria decantatam: ex alterâ parte *Paulum Harrisium* sacerdotem odiosè traductum, imò illius scripta omnium manibus proscripta. Sed jam tempus est ut obsignatis tabulis agamus, & interiora illius *Strongum* opusculi aperiamus, ut quid peccaverit *Paulus* labijs suis, aut calamo, in illius refutatione plenius inspiciamus. Inticulatur illud manuscriptum Fr. *Tho. Strong. Amica responsio ad Fraternam correctionem Pauli Harrisij sacerdotis.* In quâ responsione has habet author propositiones, easq; in terminis, quas *Paulus Harisius* in suâ refutatione appellat Flores *Strongani* horti.

Propo-

Propositio prima.

Hierarchia ecclesiastica constat ex Pontifice, Cardinalibus, Archiepiscopis, Episcopis, & Regularibus, pag. 24.

Propositio secunda.

Sacerdotes sunt meri saculares, pag. 29. & 33.

Propositio tertia.

Parochi seculares non sunt veri pastores, sed delegati tantum Episcoporum, nec habentes gregem, pag. 32. iteratur *pag. 33. & pag. 34.*

Propositio quarta.

Regulares possunt ministrare omnia sacramenta etiam invito parocho, pag. 34.

Propositio quinta.

Ecclesiastica Hierarchia pars prudentior, selectiorq; sunt Regulares, pag. 16.

Propositio sexta.

Regulares sunt in statu perfectiori quam Episcopi. pag. 23. iteratur *pag. 14.*

Propositio septima.

Superiores Regularium digniores sunt Episcopis. (Siquidem dignitas pastoris petenda est ex conditione sui gregis.) Quemadmodum Opilio dignior est Subulco. pag. 36.

Perpende tecum lector catholice, lector prudens, lector veritatis, & pietatis amator: utrùm hæ Propositiones ab *Harisio* in suâ replicâ vocatæ, flores & emblemata *Strongani* horti pietatem & sanam redoleant eruditionem, an potius ex antiquorum hæreticorum sterquilinijs putidissimos effossos errores. Si quis autem Regularium velit pervicacius inficiari has propositiones haberi in prefata illa Responsione *Tho. Strong* me conveniant, aut aliquem ex antiquioribus cleri *Dublinensis* Presbiteris, penes quos iste liber est, & copiam illis faciemus inspiciendi, imo & perlegendi illum ad

satietatem vti si meis minus verbis, suis saltim oculis fidem habeant. Interim quatuordecem sunt sacerdotes viri tam bonis literis, quam pijs moribus imbuti, qui suis chirographis fidem fecerunt de prædictis propositionibus in illo contentis, & quid potest in ullâ causâ haberi ratum aut probatum, si hoc sit minus? Horum etiam attestationes in promptu habemus parati illas ostendere omni petenti.

Hæc est illa ipsa Responsio fr. *Strong*, quam tu *Vrsulane* (in hoc præter solitum non mendax) dicis approbatam & intactam fuisse ab Archiepiscopo; (libello sacerdotis *Angli* legi, aut servari vetito) simul vel nolens coactus agnoscere in illâ responsione unà approbari sex illarum undecim Propositionum quæ *Parisiensi* censurâ reprobantur. Quomodò ergo non sunt istæ Propositiones *Hibernicæ*, qui ab Archiepiscopo *Hiberno* cum consensu Regularium *Dublinensium* admittuntur, & pro sanis & orthodoxis publico edicto approbantur. Expedire te hoc laqueo (*Vrsulane*) si vel fortissimus fueris ferarum haud queas unquam.

Vrsulanus pag. 60.

Non est quod miretur facultas *Parisiensis* Regulares *Hiberniæ* graviter ferre, & existimare gravem sibi suæq; nationi factam esse injuriam in hoc quod *Parisiensis* censura Regularibus *Hibernis* tribuat infames illas Propositiones quas nullus Regularis agnoscit, nullus Regularium liber, aut scriptum continet, nullus legitimè contra Religiosos probat, nec ullus objicit præter accusatorem & testes istos jure, & facto infames, & varijs exceptionibus obnoxios &c.

Artic.

Pergit *Vrsulanus* cum suâ crambe toties recocta, omni ferè paginâ insultans *Parisiensibus*, quasi ipsi suis calculis, & censura has impegissent *Hibernis* Regularibus. Sed bone Deus, Quid ad *Parisienses?* Fuerint istæ Propositiones *Hibernica* an *Hispanicæ*, *Europea* an *Asiatica?* Num *Sorbonici* Doctores judicârunt illas magis *Hibernicas*, quam *Germanicas*, quam *Britannicas*, quam *Italicas?* Relegas iterum (si te oblivio ceperit toties perlectæ censuræ) & narres mihi ingenuè in quotâ paginâ agitur de illarum incunabulis? Vitrios adhibe oculos tuos, si ut malè audias, sic forsitan malè acutè cernas, & indica nobis in quâ parte censuræ vidisti illas adjudicatas *Hibernis* à *Sorbonicis*, fateor nonnullas illarum erroneas, alias in errorem introducentes, has hæresin redolentes, illas scandalosas, aut sciſmaticas, omnes falsas, impugnatas, & condemnatas reperio, cui autem adjudicatæ fuerint provinciæ, nationi, regno, aut populo, nondum capio. Nec ideò missæ ab *Hiberno* Clero *Lutetiam* fuerant, uti sacra facultas nobis diceret Cuiarium forent: sed quam veritatem aut falsitatem enunciarent, quid recti, quid distorti, quid sani, quid secus in se continerent. Cur ergo tu nugator oggannis *Parisiensibus* de injuriâ ab illis factâ tuis popularibus, & *Hibernis?* An aliud dicunt sapientissimi doctores quam allatas fuisse istiusmodi propositiones per *Hibernos*, ad sacram facultatem dijudicandas? Attende dum ego tibi titulum præfixum censuræ, ex libro syllabatim recitavero.

Censura Propositionum ad sacram facultatem Theologiæ Parisiensem allatarum per D. Patricium Cahil *Rectorem*

florem S. Michaelis Dublinenſis, *& obſignatarum ac recognitarum per venerabiles viros Dominos* Michaelem Cantuelem *Procuratorem Provinciæ* Momoniæ, Iacobum Fallonum *Vicarium generalem* Achadenſem *Procuratorem Provinciæ* Conaciæ, *&* Terentium Coghlanum I. V. D. *Protonotarium & Vicarium Apoſtolicum Civitatis & Diœceſis R. Hibernes, quas ſupradicti teſtati ſunt paſſim à Regularibus, tum in familiari ſermone, cum in concionibus & diſputationibus publicari & prædicari.*

Vides (*Vrſulane*) in hoc procemio datas & diviſas cuiq; ſuas partes *Pariſienſibus*, uti nos doceant, quales ſint iſtæ Propoſitiones, ſacerdotibus *Hibernis* unde ſint, & penes utroſq; de utriſq; ſit ſua fides. Quis enim (ſanæ mentis) ſuccenſeat *Pariſienſibus* quatuor illis ſacerdotibus *Hibernis* in cauſâ non diſſimili fidem habentibus, quando ipſe Apoſtolus nullius jurati aut injurati teſtimonium producens, auſus eſt ſcribere ad *Corinthios*, 1. Cor. 11. *Audio ſciſſuras eſſe inter vos, & ex parte credo. Num oportet hæreſes eſſe, ut & qui probati ſunt, manifeſti fiant in vobis.* Sed ignoſcite mihi *Pariſienſes* ſi inſtitutæ brevitatis immemor, multus, aut certè nimius in hoc argumento fuerim. Quandoquidem hic miſerabilis libriſex tertiam partem ſui pudendi operis in hâc criminatione conſumpſerit.

Pergis jam *Vrſulane* dicere in præmiſſâ paragrapho ex *Taridivo* tuo *Examine* deſumpto. Quod nullus Regularis agnoſcit, nullus Regularium liber, aut ſcriptum continet infames illas Propoſitiones &c. Diſtinguo certè uno te excepto (quod ſciam) apertè nemo, ſaltim poſt cenſuras primò *Pariſienſium*, ſecundo *Cardinalium*,

lium, tertiò *sedis Apostolicæ*. Ante verò censuras illas, sex illarum propositas, & defensas habemus in manuscripto Fr. *Tho. Strong* Cordigeri, confratrisq; tui approbato subscriptione, & subsignatione omnium superiorum cujusvis ordinis per civitatem *Dubliniensem* consentiente & applaudente illis Ordinario nostro *Franciscano Thoma Flemmingo*, per edictum suum, idq; per omnium Catholicorum Oratoria in solemnitatibus Missarum publicatum, uti superius præmissum, & sæpius inculcatum fuerit.

Sed quando hoc cor & cardo sit totius controversiæ, nervosius aliquid de illo disseramus. Tu (*Vrsulane*) confidenter, imò vultuosè negas istas undecim Propositiones Regularium *Hibernorum* fuisse. Ego constanter affirmo, & hoc deinceps persuadebo sequentibus argumentis, non oblitus antedictorum. Et unde rectius aut ordinatius exordiar hanc telam disputationis, quam ab illâ epistolâ quam scripsit Nuncius Apostolicus *Bruxellis*, ad archiepiscopum *Dubliniensem* in hæc verba:

Illust. ac Reverendissime Domine.

Regulares regni Hiberniæ per ægrè ferunt malevola quorundam calumnia imponi & affingi sibi Propositiones quasdam temerarias, & absurdas, (quas hisce, cum adjuncto eorum libello supplici inserimus) contra clerum secularem probatas, eas verò cùm ne somniasse quidem ne dum pronunciasse se unquam asserant, instanter supplicârunt à sanctissimo Domino nostro, ut habita de calumnijs ac propositionum istarum impostaris informatione contra delinquentes procederetur quam ob rem suæ sanctitati, unà cum sacrâ congregatione sancti officij visum est hujusce causæ processum Ill. dominationi Tuamensi, simul & Archiepiscopo Dubliniensi Episcopis Kilmorensi & Kildarensi examinandum committere

sere ut acceptam veritatis informationem ad nos transmittant, quam Romam debemus destinare. Interim ne propositiones istarum censuræ jam divulgatæ in aliquod Sæcularis aut Regularis Cleri scandalum vergant, opera danda est dominationi tuæ Illustrissimæ, ut sedulo colligantur & supprimantur, quam ut Deus Opt. Max. multis & felicibus annis ad Hiberniæ vestræ bonum accumulet precamur.

Bruxellæ 10. Maij. 1631.

Studiosissimus Archiep. Comp.

Sex notanda sunt in hâc epistolâ.

1. Primò: Quod Romano judicio istæ undecim Propositiones habentur pro absurdis & temerarijs.

2. Secundò: Quòd Regulares profitentur tantum se abesse ab illarum defensione, uti eas ne somniasse quidem, nedum pronuntiasse unquam sanctissimè affirment.

3. Tertiò: Quòd conquesti sunt Romano Pontifici, quòd quandoquidem hæ propositiones sibi injuriosè à malevolis imponantur, ut (habita de sua innocentia informatione) contra calumniatores procederetur.

4. Quartò: Quòd potestas facta sit à summo Pontifice duobus Archiepiscopis, totidemq; Episcopis *Hibernicæ* nationis ad inquirendum utrum juste, an injustè insimulati fuerint Regulares *Hiberni* de illarum patrocinio.

5. Quintò: Quod horum Antistitum informatio, & relatio de statu talis negotij transmittenda sit ad urbem.

6. Sextò: Quòd censuræ earundem à *Parisiensibus* factæ, & publicatæ, ab Archiepiscopo *Dublinensi* colligantur & supprimantur, ne vergant in scandalum aliquod

quod Sæcularis, aut Regularis Cleri. Et hæc est ἐπιφώνησις hujus epistolæ.

Vti verò quod sentiam dicam, & clarè meo more dicam. Videor mihi audire διαφωνίαν quandam, sive discordiam nervorum inter primum & ultimum hujus lyræ. In primo appellantur hæ propositiones temerariæ, & absurdæ. Si verò fuerint hujusmodi, quare in ultimo mandatur ut earundem condemnationes à *Parisiensibus* doctoribus editæ, colligantur & supprimantur, aut si colligendæ & supprimendæ fuerint earum censuræ, quomodo temerariæ sunt & absurdæ propositiones? Hæc video, hæc audio, sed *Paulus* sum, non *Apollo*, ut capiam quomodo absurdarum propositionum censura poterit esse clero, sive Sæculari, sive Regulari scandalo. Sumptâ occasione ab hac epistola nuncij Apostolici *Bruxelensis* missa. Audias lector quid fecerit noster Archiepis. *Dublinensis*, & ex illa clarè discas quam sit patronus & author harum propositionum. Ipse enim continuò sub pœna excommunicationis, per omnia Oratoria, tam pastorum, quam Regularium præcipit, uti nullus præsumat censuras *Parisiensium* editas de eisdem propositionibus legere, aut apud se retinere, quin sibi, aut quos ille nominârat quanto ocius tradantur. Hic fructus & commodum hujus epistolæ erat, Vti quod Episcopi *Gallicana* ecclesiæ, & Doctores *Parisiensium* multo labore in bonum ecclesiæ ædificarent, hic noster Regularis Archiepis. uno momento in ruinam animarum destrueret. Eo modum apud nos colligendi, & supprimendi censuras *Parisienses*, quo à nostro pastore edocti sumus. Nihil iniquius, nihil absurdius, nihil heterodoxius judicio *Parisiensium* in hac causa fuisse. Et è contra, nihil magis pium aut sanum, nihil ecclesiæ magis utile aut proficuum, quam

doctrinam illarum. Qui enim *Athanasij* scripta contra *Arium*, aut *Hieronymi* contra *Iovinianum* abjicit, vituperat, aut condemnat; nonne se horum Hereticorum patronum profitetur? aut certè alumnum? Equidem his medijs & machinationibus inconsutilis Christi tunica, quam milites non sunt ausi dividere, Regulares *Hiberni* sub hoc *Franciscano* Archiepo, audent inter se partiri, apud quos fides catholica immodicam diminutionem hâc tempestate & sub hoc Antistite passa est. Leve foret & tollerandum Regularium nostrorum ambitionem, avaritiam, commessationes, cõvivales, laicos mores præterire, si nostræ sanctæ Catholicæ & Apostolicæ fidei parcitum fuerit: hæc enim integra & sarta tecta, ad reliqua animi vulnera, morumque corruptelas cum propheta dicere poterimus. *Nunquid resina non est in Galaad? aut medicus non est ibi?* Ierem. 8. Sed jam ponamus excommunicationem super hanc materiam ab Archiepiscopo *Dublinensi* fulminatam, eamq; ad literam.

Hæc sunt ad præcipiendum omnibus inhabitantibus hujus diœcesis, in virtute obedientiæ sedi Apostolicæ, & mihi Archiepiscopo suo, tradere Pæ. Edmundo Doyle, *vel Pæ.* Guilielmo Browne *sacerdotibus exemplar, vel exemplaria universa propositionum falsò ascriptarum Regularibus Hibernis, & condemnatarum Parisijs per doctores Sorbonicos. Item tractatum quendam nominatum*, Successum Heremitæ Nicephori Tristani & Petronillæ. *Quæ virtute præmissa: Ego præfatus* Thomas Flemming *Archiepiscopus Dublinensis pro hoc præsenti supprimo & præcipio sub pœna excommunicationis, sine ulla excusatione, instanter uti præducantur, & supra-nomi-*

natis

natis personis præsententur. Dat. Augusti 18. 1632.

Fr. *Thomas Flemingus* Archiepis.
Dubliniensis, & *Hibernia* Primas.

Vides hic (bone Lector) Archiepiscopum nostrum inductum per epistolam Apostolici nuncij, (nihil tale mandantis, forsan nec cogitantis) ad censuras, & excommunicationes fulminandas, facilem fateor flecti ad evaginandum gladium suum episcopalem, dum septies infra paucos dies (in rebus vel modici momenti,) ensem illum ecclesiastici regiminis eductum vidimus. Parcerem sanè Ordinarij mei excessibus, imò obtegerem palliolo, si non in propatulo, si non in foro, si non in orbis theatro, & omnium conspectu actitata hæc forent. At dicet fortassè aliquis: Voluit nuncius Apostolicus *Bruxellensis*: voluit Cardinalis de S. *Onuphrio*, frater germanus summi Pontificis, & de ordine *Capucinorum*, ut eo modo procederetur à nostro Archiepiscopo *Franciscano* in colligendis, & supprimendis *Parisiensium* censuris. Respondeo, nihil horum literis (vidimus enim) intimatum fuerat, de modis & medijs procedendi in tali negotio. Quin imò ad nihil planè obligantur Episcopi & Ecclesiæ præsules virtute epistolarum, aut mandatorum cujuscunque Nuncij, vel Cardinalis, nisi habeant etiam ostendere literas Pontificias plumbo, vel annulo piscatoris pro more signatas, & testatas (salvo semper ad quod tenentur ratione muneris, & officij pastoralis.) Sed quid quæso actum hac præcipiti censurarum evulgatione in opprobrium maximamq; contumeliam *Gallicanæ* & *Hibernicæ* ecclesiæ, *Parisiensis*, *Dubliniensisq*; Cleri? Sanè uti ludibrio exponatur Pontificia potestas, & ecclesiasticæ disci-

plinæ nervi enervantur. Nemo est enim repertus, vel apud Clerum, vel apud populum, qui vel unum ex vetitis protulit, vel exhibuit libellum prædictis sacerdotibus, imò vel ipsi Archiepiscopo. Tanta est enim in *Hibernica* ecclesia (saltim ubi dominantur Regulares Episcopi) quotidiana assiduitas excommunicationum, uti tam apud Clerum, quam populum prorsùs vilescunt, & hebescit illa censurarum acies apud omnes qui olim omnibus formidabilis erat. Sanus quippe, & siccus erat quicunq; dixit.

Fulmina Pontificum commendat varior usus.

Quòd verò ad tertiam Epistolæ partem, à Nuncio Apostolico, ad Ordinarium *Dublinienſem* missæ, & superius relatæ attinet. In quâ mandatur Inquisitio duobus Archiepiscopis, totidemque Episcopis *Hibernicæ* nationis, de authoribus & patronis undecim propositionum. Hinc certè liquet quantum possunt Regulares apud sedem Apostolicam, & quo loco sunt in aulâ Pontificis, imò quam verè & solidè gloriari possunt, uti solent, se adeò esse potentes in *Romanâ* curiâ, uti nullos habeant quos formident adversarios. Vides enim hic Lector, quam inscio (uti præsumi potest) summo Pontifice, aut certè mendacijs & sinistris informationibus illuso, agnos committi lupis. Quod enim ad hos inquisitores spectat, habemus ex illorum numero Regulares duos, *Tho. Flemingum* Archiepiscopum *Dublinienſem Franciscanum*, & *Rossum Mackgoghagan* Episcopum *Kildarenſem* Dominicanum. Et quid volunt inquirere hi Regulares Episcopi in socios? imò in fratres suos, maternis uberibus sibi chariores? Quid statui durum in suorum ordinum cives? imò domesticos & familiares, quid (inquam) quod proprio ordini, infamiæ, ignominiæ, aut dedecori esse possit? Imò indulgentiſſimi

mi patres filiorum ſuorum nævos & errores, fucato aliquo nitore & pigmento obducere malunt, etiam & celare, quam in contumeliam ſuorum, quos omni ratione ſublimare, imò ſideribus adæquare cupiant publicare.

Addo etiam quod horum inquiſitorum vnus, Archiepiſ. nimirùm *Dublinienſis Tho. Flemingus* participat cum ſuis fratribus *franciſcanis*, etiam in crimine criminoſo, exiſtens non ſolum aſſertor iſtarum vndecim propoſitionum, ſed & fautor, & patronus omnium eorum, qui quocunq; modo eas defendunt, aut cum alijs communicant, vti ſuperius ex parte vidimus, & luculentius in procinctu videbimus. Et hic talis ad inquirendum de delictis, & exceſſibus chariſſimorum idoneus iudicandus eſt? ad accuſandum (inquam illos) qui in eadem ſecum ſunt prævaricatione? In cujus diſtricto, & diœceſi, quaſi in proprio ſinu, hæc perverſa loquentes primo fovebantur, & incaleſcebant. Imo vt cum poeta exclamem.

Quis cœlum terris non miſceat, & mare cœlo,
Si ſur diſpliceat Verri, *Homicida* Miloni:

Claudius *accuſet mœchos*, Catalina Cethegum.

Impoſitum erat ſummo Pontifici & Cardinalibus. Impoſitum erat Eccleſiæ præſulibus quando hæc provincia talibus demandata fuit, vt eſſent accuſatores eorum quos in ſinu ſuo lactant, & refovent, quos intimos omnium conſiliorum habent, & participes, quibuſcum vita & ordo, ratio etiam ſtudiorum, domus non raro vna, menſa communis eſt.

Iiſdem etiam exceptionibus non minus obnoxij ſunt illi alij præſules, horum in hac demandata inquiſitione ſocij, & collegæ: ſcil. Archiepiſ. *Tuamenſis*, nomine *Malachias Kelley*. Et Epiſcopus *Kilmorenſis*, *Eu-*

genius Swineus, qui vtcunque sunt de clero sæculari cum tamen non alijs medijs ascenderunt ad præsulatum, quam nixi humeris Regularium, maxime *Franciscanorum* quorum hic etiam altius ascendere contendens, imò ad summum in *Hibernia* ecclesiastici honoris culmen, sedemque *Armachanam*, non est quod vitis suum palum intempestivè relinquat, per quem intendit pervenire ad optatam metam, & speratam altitudinem. Quocirca, non est quod summus Pontifex, non est quod Cardinales putent, hos antistites multam adhibituros diligentiam in alienandis suis charissimis, & amicis, aut exulcerandis eorum animis hac nova indagine, & scrutinio, de dogmatizantibus perperam in materia. 11. propositionum. Quandoquidem recens memoria beneficiorum acceptorum, & expectatio recipiendorum non permittet hos præsules lædere, & minùs dissuere amicitiam cum Regularibus initam, tamq; arctam, tamq; uberem, tot officijs ultrà citraque excultam, confirmatam, consolidatam.

Sed jam festinemus ad quartum articulum, præfatæ epistolæ à Nuncio Apostolico qui *Bruxellis* agit missæ ad Archiepiscopum *Dublinienſem* quæ paulò superius habetur. pag. 72. & videamus quid actum fuerit hoc qualicunq; scrutinio ab illis præsulibus ad istud officium deputatis, saltim in voce nuncij Apostolici.

Convenerunt tandem in remotioribus *Hiberniæ* partibus hi quatuor Episcopi, non in civitate, non in diœcesi imò nec in omni provincia *Dublinienſi* (uti par erat) siquidem notitia certior & præsentior horum dogmatum imò & doctorum habenda erat loco quo primo exoriebantur, & invalescebant. Regulariter enim loquendo, ubi crimen admittitur; ibi causa ventilanda est: juxta illud *Fabiani* Papæ apud *Gratianum* 3. q. 6. c. 1.

Quor-

Quorsum ergò contulerunt se hi inquisitores prava dogmata perverse docentium, relicta a tergo non tantum diœcesi, sed & omni provincia *Dublinienſi* subdita Archiepiscopo, & quatuor comprovincialibus Episcopis. In quem finem (inquam) concesserunt in dioœcesim Medensem *Armachana* provinciæ, ad locum sexaginta plus minùs miliaribus à civitate *Dublinienſi* distantem? immemores quod in loco admissi criminis inquisitio primo facienda sit. Non sic solent certe ferarum venatores; Apros quippè in montium iugis investigant. Leones in Libiæ desertis insequuntur; Vulpes in rupibus, & inter nota spelæa; Lupos, & Vrsos, per silvas & saltus, sagacitate canum perquirunt. Nostri verò venatores Elephantum in *Gallijs*, Lupos in *Anglia*, & Serpentes quærunt in *Hibernia*. Sed & qui venationibus se addicunt magnis tam Rusticorum clamoribus, quam canum latratibus vexant & fatigant, imò in umbris & condensis silvarum latitantes expergifaciunt feras, uti aprico et cursui primo, dein spiculis & venabulis exponantur. Hi vero Antistites feris istis nocivis plus æquo faventes, non solum consuetos illarum saltus, & latibula prætereunt, et declinant, sed & ea taciturnitate et silentio, ea nocte et obscuritate rem peragunt uti metuendum sibi foret ne Licisci fortasse alicuius latratu excitæ hæ vulpeculæ, incautius fiunt præda pastoribus. Nos quippe Clerici Civitatis *Dublinienſis*, diœcesis, & provinciæ, nulla diligentia de loco vel tempore, quo conventuri erant hi præsules poteramus fieri certiores, sentiebant enim nos quanto ocius advolaturos ad capturam horum animalium, quæ non magis sunt insidiosa, quam pernicioſa gregibus. Quocirca hi quatuor toties nominati Antistites, et Regularium patroni maximi, dedere in mandatis idque

sub

ſub ſancta obedientia ne quis locum deſtinatum vel tempus præfixum huic ſcrutinio, ullo modo patefaceret ſaltim clericis, & preſbyteris fæcularibus. Sed quid porrò actum? Sane uti non nihil feciſſe videantur, citarunt ad comparendum coram ſeipſis accuſandorum neminem, accuſatorum neminem, preter unum R. Patrem *Iacobum Fallonum*, & alterum *Terentium Coghlanum* preſbyteros qui anteà coram *Pariſienſibus* in eadem cauſa comparuere adverſus Regulares. Quid multa? poſt compendium breviſſimæ inquiſitionis, hujuſmodi ſcriptum ediderunt, proprijs chirographis, & ſigillis munitum.

Cum ad ſacroſanctam Romanam curiam delatæ ſunt propoſitiones undecim, abſurdæ plane & temerariæ, à ſacra Theologia facultate Pariſienſi damnatæ, quaſi à Regularibus hujus regni in Cleri Hierarchici contemptum, paſſim tum in lectionibus publicis, tum in concionibus tactari ſolitæ. Cumque ſanctiſſ. Dom. noſter, una cum ſacra congregatione S. officij Ill. ac Reverend. Nuncio Apoſtolico in partibus Belgicis *in mandatis dederat, totius cauſæ proceſſum quatuor ex* Hibernia *prælatis examinandum committere. Num ſcil. à Regularibus præfatis ejuſmodi propoſitiones, ſeu in lectionibus, ſeu in publicis concionibus aliſve congreſſibus (uti impoſitum eſt) paſſim prolatæ fuerint. Nos infra ſcripti per Ill. & Rev. præfati nuncij literas decimo* Maij *jam proximè elapſi datas, ac ſexta die menſis* Iulij *inſequentis hic acceptas, ſpecialiter deputati, ad inquirendum num tales propoſitiones à præfatis Regularibus paſſim in cathedra dictæ, vel in ſuggeſtibus declamatæ, aut in familiaribus colloquijs prolatæ fuerint, quæ promptitudine debuimus pro impoſita nobis provincia ſedulo rei veritatem indagavimus, & adhibita diligenſia & inquiſitione, quam & ipſius cauſæ gravitas, & noſtri muneris ratio poſtulabat, Tenore preſentium teſtamur, Regula-*

ri

res hujus regni Hiberniæ nullam prorsus ex propositionibus prædictis in prædicationibus, disputationibus, aut familiari sermone seriò passim pronuntiasse, vel protulisse, imò nec ad nostras pervenisse aures, ante censuræ sacræ facultatis Parisiensis conspectum, illas propositiones fuisse passim in hoc regno declamatas aut disputatas, præterquam quod aliqui ex dictis Regularibus, sua privilegia de communione Paschali ab aliquot jam elapsis annis exequutioni demandare meditati fuerint, quos novimus monitos fuisse per proprios superiores, ut à cæptis desisterent, quibus ita obtemperârunt, ut ab illo prohibitionis tempore, de isto puncto nihil prorsus audiverimus. Quare præfatos (hujus regni fidei catholicæ tenacissimi) Regulares viros pietate, eruditione, prudentiâ, animarum lucrandarum zelo, vel usq; ad sanguinis profusionem communiter insignes, domi foriſq; immeritò, & indignè accusatos existimamus.

Cæterùm quo exactius provinciæ nobis impositæ fieret satis, delatorum duos (R. Dom. Iacobum Fallonum, & Terentium Coghlanum diversarum facultatum doctores, in hoc regno jam commorantes) prædictarum propositionum coràm examinavimus, qui jurati tantum affirmârunt se audivisse quosdam Regulares, idq; in privato colloquio proferentes tres ex prædictis propositionibus, secundam, tertiam, & quartam, reliquas verò ab alijs quibusdam Regularibus similiter in privato colloquio prolatas fuisse, aiunt se aliorum solummodo relatione intellexisse. Vnicum insuper Religiosum in festo S. Dominici, in panegyrica illius sancti semel prædicasse, Monachos esse selectiorem partem gregis Christi, ac Hierarchiæ ecclesiasticæ membrum. Ad quæ omnia probanda se obtulerunt prænominati delatores. Fatetur quidem Religiosus ille concionator se prædictam doctrinam prædicasse. Regularium tamen ordinum superiores constanter negant Regulares sibi subditos ullam ex prædictis

propositionibus in privatis colloquijs multo minus publicè protulisse, & personas accusatas ad se purgandas coram producere parati sint.

Nos tamen dum in hoc negotio gnaviter incumbimus experientia docti, quam difficile & periculosum sit præsertim hisce temporibus, singulas personas quarum interesse possit longè, lateq; dissitas convocare, aut convenire, cogimur ulteriorem examinationem omittere, ac in mitiora tempora differre, si Deus dederit, idq; suæ sanctitati nobis mandare placuerit, quatenus & reliqua omnia nos & nostram afflictam patriam concernentia sanctissimi Do. nostri, & eminentissimorum patrum judicio pro suo in hanc præsertim & universam Ch. sponsam affectu & solicitudine cõsideranda submittimus, & sanctitatis suæ pedes deosculamur sanctissimos. In quorum fidem hisce subscripsimus, & sigilla nostra apposuimus. Datum in Hibernia die 4. Septemb. anno Incarnationis Dom. 1631.

Fr. *Thomas Fleminguus* Archiepiscopus *Dublinienſis*, Hiberniæ Primas.

Locus Sigilli.

Malachias electus Archiepiscopus *Tuamenſis.*

Locus Sigilli.

Eugenius Episcopus *Kilmorenſis.*

Locus Sigilli.

Factâ collatione hæc copia concordat cum suo Originali. Ita testor. *Eugenius* Episcopus *Kilmorenſis.* Dat. 25. Septemb. 1631.

Locus Sigilli.

Quæres

Quæres fortassè (prudens Lector) quare quartus Episcopus qui interfuit etiam huic examini, hujusmodi instrumento non subscripsit, scil. *Rossus Maghoha-gan*, Episcopus *Kildarensis*. Sanè ex quo capite à subscriptione abstinuit, adhuc mihi non constat, nec augurari libet. Conferas verò (lector) ad normam rectæ rationis, hoc qualecunq; rescriptum, sive responsum horum Antistitum, ad epistolam superius relatam nuncij Apostolici *Bruxellensis* pag. 71. & perpendas tecum æqua lance, utrum negotium hoc jussi examinis quadrat mandato à sede Apostolicâ dato. Præcipitur enim (inquit nuncius Apostolicus) quatuor Episcopis *Hibernicæ* nationis, ut inquirant de statu controversiæ, & utrum justè, an injustè accusati fuerint Regulares *Hibernici*, de illarum propositionum defensione, & patrocinio: Deinde quod horum Antistitum informatio & relatio de statu talis negotij transmittatur ad urbem.

Ergone hæc mens, hoc consilium fuerit S. Pontifici, Cardinalibus, S. Officij patribus, Nuncio Apostolico *Bruxellis* agenti? uti non plures quam duo ex toto *Hiberniæ* regno accusatores & testes in hâc causâ adversùs Regulares in materiâ 11. Propositionum huic tam solemni inquisitioni, & examini subjicerentur?

Quare ad hoc examen (veritatis explorandæ causâ) non admittuntur sacerdotes *Dublinienses*? tam civitatis, quam cæteræ Diœceesis, quâ totius provinciæ, saltim eorum aliquot, apud quos omni sermone nihil magis est usurpatū, quâ Regulares esse & fuisse authores, & buccinatores istarum Propositionum. Quare saltim non citatur, non vocatur ad comparendum coram his quatuor prælatis, *Paulus Harrisius* presb. *Dublinij* nunc, & tunc temporis agens? qui (uti à te (*Vrsulane*) perhi-

 betur,

betur, cap. 1. pag. 36. *Iuridici* tui *examinis*) primus, & ante omnes has propositiones sisti curavit *Parisiensium* censuris mediante amico suo Doctore quodam *Anglo*. Quare non citatur R. Pater *Lucas de Rupeforta* Archidiaconus *Dublinensis*? Quare non *Petrus Cadellus* S.T.D. & Protonotarius Apostolicus? Quare non *Iacobus Talbottus* S.T.D? Quare non *Thomas Dond* Venerab. & doctus ille presbyter? quare ex alijs regni partibus non vocantur &alij, non minus quam hi idonei ad ventilandam hanc causam, & enucleandam veritatem coram his selectis arbitris? Num veriti sunt hi Antisti es, ne venerabiles illi presbyteri testium & testimoniorum secum adducerent exercitum, quos sisterent subsellijs & tribunalibus eorum? Num ideò hâc clandestinâ inquisitione, & tam privatis concilijs sunt usi? Ne Hierarchici sacerdotes unâ manu, catalogum accusatorum & testium, altera, Regularium reorum & delinquentium ostenderent & exhiberent, quo causa caderet tam injustâ defensio.

Sed ô beati hoc ævo Regulares, qui in omni causâ æquâ vel iniquâ, superiores & victores semper evadunt, tot Pontificum sublimati indultis, tot Cardinalium protectionibus muniti, tanto satellitio stipati magnatum, tot defensi amicorum patrocinijs, uti si velint corvos candidos, nigrosq; cignos asserere, omnes in eorum verba jurare tenemur. Imò eo venerunt potentiæ & majestatis, eo divitiarum, & opulentiæ, eo numerosæ multitudinis, ut non solùm clero Seculari, & pastoribus, sed & Episcopis, sed & Cardin. ne dicam summis Pontific. hodie sunt terrori. Et laicos quid taceam? qui tantum deferunt horum ordinibus, quantum utilitatis sperent se capturos eorum benevolentiâ (qui tantum possunt quantum velint amicis prodesse.) aut

quantum

quantum odia potentissimi hostis sibi fore incommodo cautè prævident. Quid ergo mirum, si hi Prelati deputati ad strictum & rigorosum examen horum operum, non tam muneris sui obliti, quam quo sibi Regulares omni officio habent devinctiores (loco seriæ inquisitionis & examinis) laudes eorum certatim decantant, & in panegyricum illis hoc scripto insurgunt.

Sed jam membratim discutiamus hanc qualemcunque Apologiam pro Regularibus ab his deputatis Episcopis ad vrbem transmissam: atq; eo ordine quo superius describitur. pag. 79.

Cum ad sacrosanctam Romanam curiam delatæ sunt propositiones undecim absurdæ plane & temerariæ à sacra Theologia facultate Parisiensi damnatæ quasi à Regularibus huiusregni in Cleri Hierarchici contemptum, passim tum in lectionibus publicis, tum in concionibus jactari solitæ, &c.

Nota lector quod hæ undecim propositiones ascriptæ Regularibus *Hibernis* in ipso vestibulo huius Apologiæ censentur ab his prælatis *Temerariæ* & *absurdæ*. Quibus etiam Epithetis præluxit nobis Nuncius Apostolicus *Bruxellensis* in illa quam misit epistola ad Archiepiscopum *Dublinienſem*. pag. 72. Quæro igitur (sicut ante non semel) Si absurdæ fuerint & temerariæ hæ propositiones, quare earum assertio & defensio omnibus, idque authoritate ecclesiastica non interdicitur? Imo quare censuræ *Parisienses* quæ illas reprobant & condemnant ab Archiepiscopo *Dublinienſi*, Episcopo *Medenſi*, *Kilmorenſi* & alijs, nostris omnium manibus, tanquam improbæ lectionis publico edicto excutiuntur? Nam si hæ propositiones sint absurdæ & temerariæ, certe censura *Parisienſis* quæ illas condemnat amplectenda est, & laudanda. Si hæc non probanda, certe nec illæ absurdæ.

Cumque sanctissimus Dom. noster una cum sacra congregatione S. officij Ill. ac Rev. Nuncio Apostolico in partibus Belgicis *in mandatis dederat votum causæ proclusum, quatenus ex Hibernia prælatis examinandum committere. Nunc scil. à Regularibus præfatis ejusmodi propositiones, seu in lectionibus, seu in publicis concionibus aliisve congressibus uti impositum est,* passim *prolatæ fuerint. Nos infra scripti per Ill. & Rev. præfati nuncij literas decimo* Maij *jam proxime elapsi datas, ac sexta die mensis* Iulij, *insequentis bis acceptas, specialiter deputati ad inquirendum, num tales propositiones à præfatis Regularibus,* passim *in cathedris doctæ vel in suggestibus declamatæ, aut in familiaribus colloquij prolatæ fuerint, qua promptitudine debuimus pro impositis nobis provincia sedulo rei veritatem indagavimus* &c.

Certe non fugit tantos Antistites solere summos Pontifices sua dare mandata, non per privatas literas alicujus nuncij Apostolici, imò vel Cardinalis, sed per suas, sibique proprias, nempè bullas, vel brevia Apostolica, nec teneri quenquam ratione obedientiæ, aut alicujus alterius vinculi hujusmodi iussa aliorum fide nixa capessere, absque relatione ad Apostolicas literas, nisi officiosi velint, & fortè magis præcipites ferri, quam legitimè vocari ad hujusmodi munia obeunda. Destituti igitur sufficienti authoritate, & mandato, id est apostolico, incassum laboraverunt hi antistites, & quod fecerūt in hoc negotio virtute hujus epistolæ (licet nuncij Apostolici) nullius est ponderis aut momenti. Imo de illorum numero reputari possunt quantum ad hoc de quibus olim Deus per Prophetam est loquutus. *Non mittebam prophetas, et ipsi currebant, non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant.* Ierem. 23.

Secundum observandum est, Quod, Illud *passim* vox quidem emphatica, & bis in hoc paragrapho usurpata non

non reperitur addita in omni illa epistola præfati nuncij Apostolici *Bruxellensis* missa, cuius authoritate suffulta est hæc inquisitio episcopalis. Dico quod nulla talis modificatio vel ut significantius loquar (licet minus forte latine) qualificatio apposita est in istiusmodi mandatis. Sed simpliciter vult præfata epistola uti ad urbem referatur, si à Regularibus fuerint prolatæ hujusmodi propositiones an non, quas (uti epistola refert) ne somniasse quidem, ne dum pronuntiasse se unquam asserunt. Noli tibi imponi lector sed consule hanc epistolam pag. 71. & signanter nota, quid ibi inveneris.

Tertiò profitentur hi Episcopi huius examinationis sive oneri, sive honori deputati à nuncio Apostolico, quod pro impositâ sibi provincia sedulo rei veritatem indagaverunt. At Deus bone qua sedulitate rei veritatem indagaverunt? qui præter duos, neminem adhanc veritatem è tenebris eruendam prævia admonitione vocarunt, neminem admiserunt, imò omnes quos hoc examen clam erat (& omnes clam erat) revera excluserunt, dum tam occultis modis, imò ita furtim hoc peractum & transactum fuerat examen, & inquisitio, ut non de personis Inquisitorum, de loco, aut tempore quo conveniendum erat, cuiquam nostrum de clero (ad quos hoc negotium maxime pertinebat) nisi à posteriore unquam innotuit.

Et adhibita diligentia & inquisitione quam & ipsius causa gravitas, & nostri muneris ratio postulabat tenore præsentium testamur Regulares huius regni Hiberniæ, nullam prorsus ex propositionibus prædictis in prædicationibus, disputationibus, aut familiari sermone, serio passim pronuntiasse vel protulisse. &c.

Quandoquidem jam tandem incidimus, (licet non tempore quo debuimus) inter examinatores vocum, sermo-

sermonum, & doctrinarum: examinemus & nos hos terminos *serio passim* quos huic panegyricæ insertos reperimus, & quid (si forte quid) hoc *serio passim* significet videamus vel uti *Laco* olim de *Philomela* implumi, dicendum sit *vox est, praterea nihil*. Logicam de terminis significativis, & consignificativis consuluimus, & antè omnia, dictionaria, & vocabularia penè innumera, authores etiam de proprietate verborum, quos habere potuimus, & præ cæteris *Isydorum* de Etimologijs. Ex si non vane auguror humoris aliquid ex hoc pumice *serio passim* eliciemus. Non enim vacat mysterio horum verborum interpolatio. Ex hoc enim *serio passim*, si non solem aliquem meridianum at certe auroram quandam elucescere visus sum mihi videre latenti veritati, & ab alto puteo caput suum exerenti. Quantum ergo capio, quantum sapio, mysteriosè res agitur, & summa totius hujus inquisitionis, in his duabus voculis *serio passim* compendiosè insinuatur. Quid sit rem *passim* vel *non passim* tractari. Quid serio vel jocosè rem agi non est ita *Delphicum*. Verùm orationem *seriò passim* pronuntiari, vel non pronuntiari, hoc est sapientia inter sapientes. O quam infœlix ego cui nusquam apud Oratores vel poëtas, imo neq; apud Philosophos & Theologos, has duas voces *seriò passim* in oratione conjunctas reperire hactenus contigerit. Quandoquidem ergò sumus in hoc Gymnasio, more scholasticorum sententias aliquas ad hanc normam concinnemus, quo sensum hujus periodi, & maximè hujus *serio passim* assequamur felicius.

Dico igitur *Aristoteles* nullas prorsus ex suis Philosophicis relectionibus, quas apud magnum discipulum *Alexandrum* habuit, publicis disputationibus, aut familiari sermone *serio passim* evulgavit. Adjuro te Lector

dor per ossa paterna, ut me doceas. Quid jam dixerim aut quid hæc verba volunt? Et utrum *Aristoteles* intelligendus sit suas relectiones publicasse, an secus. Et si affirmes. Quæro utrum serio an jocosè, *passim*, vel *non passim* hoc fecerit. Si neges illum vi horum verborum publicasse omnino. Urgeo tuum ingenium quare interserantur illa duo adverbia *serio passim*? Sanè si unquam mihi insaniendum foret, nunquam jucundius, aut opportunius quam hodie, nec ulterius hoc gripho prudens exerceat. Vultisne aliud? *Sempronius* accusatur, quod soleat fustibus *passim* ad se venientes hospites excipere. Respondet *Sempronius* nunquam se *serio passim* fustigasse hospites. Quid ad hoc hospites? Sanè affirmant se *passim* à *Sempronio* verberatos, & sibi juratis credi salvo putant, cum humeros lacertosq; in testes habeant. Seriòne an joco hoc factum, tuum imploro Lector *Apollinem*? Dicis, tibi videri *Sempronium* hâc formâ loquendi falsum se saltim *passim* fustigasse hospites suos, excepto quod non *seriò*. Benè est, abundè est. Iam summa vetorum attigi. Dicendam ergo cum bonâ venià nostrorum Antistitum eorum tandem judicio, & indicio Regulares *Hibernos* convinci reos de harum Propositionum evulgatione facta, tam concionibus, quam disputationibus, & familiari sermone, id q; *passim* salvo semper quod non *serio*. Ergo cùm sit testimonium eorum consentiens: dico domi, horum Episcoporum præsentarum *Romanis* censoribus, & quatuor illorum sacerdotum *Parisiensibus*, non est quod culpet *Versalanus* illos presbyteros quasi falsum testimonium tulissent in odium Regularium, magis quam hos Episcopos, quorum approbatione veraces inventi sunt, quoties dixerint, quòd hæ propositiones *passim* à Regularibus *Hiberniæ* tam concionibus, quam disputationibus, &

familiari sermone prolatæ fuerint. Seriò verò aut jocosè aliquid enunciare per accidens est ad orationem. Nec fortè illi presbyteri rem harum propositionum esse adeò ridiculam cogitabant, imò nec adeò facetos, & jocosos fuisse Regulares in illis declamandis sunt arbitrati, maximè cùm sine risu, aut vultu ad hilaritatem composito, tantos *Catones* sermocinantes audivissent.

Imò nec ad nostras pervenisse aures ante censura sacra facultatis conspectum, illas propositiones fuisse passim in hoc regno declamatas aut disputatas.

Hoc *passim* sine dubio fuit illa siculnea sub cujus condenso latuit *Adam*, cùm Dei conspectum effugisse se putabat. Et hoc idem *passim* hodie est latibulum nostrorum Regularium in quo absconditi non dubitant declinare conspectum summi Pontificis, & Cardinalium, imò & omnium accusantium illos de devulgatione istarum propositionum, quorum omnium oculos & aures ludere, & deludere hoc uno *passim* imò occœcare, & obturare sibi persuadent se facilè posse. Superiore paragrapho visi sunt hi præsules agnovisse Regulares *passim*, licet non *seriò* illas publicasse, hoc verò ne quidem *passim*, sed cautè tamen, dum id non pervenisse ad aures suas profitentur. Sed quousq; animam nostram tollitis? Dicite Pontifices, idq; clarè & sine ambage verborum, non tam nobis, quam Nuncio Apostolico *Bruxellensi*, qui per suam epistolam (cujus & vos meminisse poteritis) postulaverit, idq; nomine summi Pontificis, uti referatis ad urbem, verumne fuerit, an falsum, quod Regulares supplici suo libello, (quem summo Pontifici obtulerant) affirmabant, illas propositiones haud unquam se somniasse ne dum pronuntiasse. Consulatur in hujus rei fidem Epistola superius

sius descripta, pag. 71. & ad vos delata.

Mittite ergo hoc *passim*, & hoc *serio*, & hoc *serio passim* hujusmodi (inquam) tergiversationes & errorum latebras, hac rubecula quibus obtegitur & obfuscatur veritas, & dicite clarè, apertè, & rotunde *Romanis* patribus, an unquam, aut usquam vidistis aut audivistis talia dicta, scripta, aut divulgata ab *Hibernis* Regularibus, an secus. Sic sic respondendum est â viris prudentibus & cordatis (quales vos estis) viris prudentibus & cordatis quales *Romani* sunt. Hisce etenim restrictionibus & exceptionibus de *passim* & *serio* quas tanta cautela interferitis vestris chartis, *Romam* destinatis, causam vestrorum Regularium proditis magis quam promovetis, & hæc encomiastica quam tanto studio cõcinnastis hujusmodi affectatis cautiunculis penè defloruit. En tibi (Lector) non abs re parabolam. *Tigellius* amicus & familiaris meus, infamatur per urbem de nocturnis perambulationibus, de percussionibus, de potationibus, & vinolentijs. Ego in illius defensionem respondeo illum hujusmodi vitijs non communiter aut *passim* esse obnoxium. Quid? num ego *Tigellium* de his excessibus excuso, an accuso? *Laconice* dices de *tanto* illud, de *tali* hoc.

Præterquam quod aliqui ex dictis Regularibus sua privilegia de communione paschali ab aliquot jam elapsis annis exequutioni demandare meditati fuerint quos novimus monitos fuisse per proprios superiores ut à capitis desisterent, quibus ita obtemperarunt, ut ab illo prohibitionis tempore de isto puncto nihil audiverimus.

Nihil prorsus audiveritis Ill. & R. Antistites de quo tota *Hibernia* tam politica quam ecclesiastica ambabus auribus audiverit? Imò res ipsa loquitur (nobis tacentibus) non solùm *Visulannus* hanc propositionem ex

 unde-

undecim *Parisijs* condemnatis ordine quintam in suo *Iuridico examine* propugnasse, sed usque ad hunc diem Regulares cujuscunq; ordinis, tam verbis quam factis, tam doctrinâ, quam exemplis acerrimè contra parochos non usq; ad aras, sed (pene dixerim) pugnas, pro hac dimicasse. Testis *Clerus*, testis *Populus*, testis omne *Pascha*.

Testis *clerus*, qui in hac civitate *Dubliniensi* quoties sub finem Quadragesimæ admonetur populus, uti se præparent ad communionem paschalem in proprijs parochijs recipiendam, toties exsurgit Iesuita aliquis sivè *Gulielmus Malon*, sivè *Thomas Cusack*, aut Capucinus *Lucas Bath*, aut Dominicanus, *Dom. Nugent*, aut *Tho. Brangan*: aut *Iohannes Preston*, aut *Simon Wafer*, Francisimo ex quovis ordine unus aut alter concionator, qui plurimum potest apud vulgum, & ipse non in ostensione spiritus, & virtutis, sed in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, huic doctrinæ simul & ecclesiasticis legibus & sanctionibus confirmatæ se opponit, uti omni anno hactenùs fecere, & expectamus insuper facturos Regulares, O quoties Ill. & Rev. Archiepiscope diœcesanæ noster, te appello *Thoma Fleminge* quoties inquam supplicibus votis baculum pastorale, & authoritatem tuam invocarunt pastores tuæ diœcesis *Dubliniensis*, imo non tarius certe quam omni quadragesima, uti Regularium in materia de communione paschali contra canones docentium & practicantium intemperiem velis comprimere, & coercere. Tu vero Ill. Antistes; totus in Regularium partes propendens surdis auribus tuorum vota parochorum excipis, permittisq; uti tui *Franciscani*, cæteriq; omnium ordinum fratres, partim concionibus, partim confessionibus excipiendis, tam publicè, quam privatim, ple-

no ore debuccinent neminem teneri ullius sexus aut ætatis ad sacram communionem suscipiendam in proprijs parochijs, aut à proprijs parochis. Licèt Dei & apostolica gratia in hâc *Hiberniâ* ecclesiâ habemus per omnes sedes episcopales episcopos presentes, & residentes: aut certe vicarios apostolicos. Insuper per parochias, pastores & doctores gregibus suis attendentes, & invigilantes. Sed hæc sunt fata *Hibernica*, ut qui fideli populo in spiritualibus iura dant, nolunt curam illorum in se suscipere, & qui ad curam illorum (usq; ad animam pro anima) iure divino, & ecclesiastico tenentur, regere illos & gubernare obstat (per Regulares,) quo minus possunt.

Testis *populus*, populus inquam qui per dulces sermonis & benedictiones à Regularibus seducti corda, in gratiam invicem suorum doctorum & institutorum (quasi rependentes tali officio beneficia sibi facta, & uti ampliora mereantur) non dubitant summa protervia & in faciem resistere suis pastoribus, imo & vulnuo se respondere se non obligatos, nec velle facere communionem paschalem cum illis.

Testis *populus*, populus acquisitionis vereor autem ne perditionis, qui (voluntate magis tardi, quam ingenio) socordes sunt & ignavi in addiscenda sacra doctrina & imbibenda ea fide quæ est ad salutem necessaria tam in symbolo & decalogo quam in usu sacramentorum: solent tamen hi non minus quam alij ex consuetudine magis quam pietate, ad paschalem communionem singulis annis advolare, quam si pastor velit hos ad tempus differre serio admonentes uti melius dispositi, ad hæc tremenda mysteria accedant, continuo eo relicto (ô rem miseram) conferunt se, ad hos magistros, qui (consuentes pulvillos sub omni cubitu, ob-

vijs ulnis suscipiunt illos, commissa piacula solvunt, ad sacram synaxim admittunt, securi illius lucelli, quod dextro cornu altaris expectant.

Testis *populus*, gens inquam sine consilio, & disciplina, quorum pars hoc ad bonum sunt reprobi, Adulteri, ebriosi, usurarij, semoti, & obligati à templo & sacris, tam in pernam peccati, quam ad vitæ emendam, recipiuntur tamen & admittuntur ad sacra, & sacramenta ab his regularibus, tam paschali, quam omni alio tempore cum magno scandalo totius ecclesiæ. Quid enim non audent hi magistri? in hac rudi plebecula, & ipsi maxima ex parte rudes æque & indocti, tot tamen tantisq; privilegijs muniti, ut quicquid sibi libitum, & licitum continuo putant.

Testis omne *pascha*, quo videmus plures admitti ad communionem à Regularibus maxime ex opulentioribus civibus, quam qui faciunt hanc paschalem cenam cum suis pastoribus, imo audeo dicere quod in hac civitate *Dubliniensi* in qua degimus vix vigesima pars civium, & inhabitantium juxta laudabilem ecclesiæ consuetudinem tot legibus cautam cum suis parochis communicant, omnes tamen communicant, dum nemo ex Regularibus vllos eorum hactenùs demandavit suis pastoribus, imo magis, si quis sit animi dubius, hunc ad se pelliciunt, & allectant, uti miror qua conscientia (absit irreverentia verbo) noster Archiepiscopus hoc presenti ad urbem rescripto proprio chirographo, & sigillo munito ausus sit cum cæteris prælatis (in hoc munere sibi collegis) in re tanti momenti, summo pontifici, & Cardinalibus fidem facere, imo verius imponere. Dicendo, & attestando quòd. *Dicet ab aliquot elapsis annis aliqui Regulares sua privilegia de communione paschali coequationi demandare meditati fuerint, se*

tamen

tamen uenisse, uenitos hos fuisse per proprios superiores, ut à captu desisterent, quibus ita obtemperarunt, ut ab illo prohibitionis tempore, de isto puncto nihil prorsus audiverint. Quis (inquam) talia ausurum nostrum Antistitem cogitaret? scil. tam splendidè falsa, tamq; ab omni veritatis umbra aliena suggesturum *Romanis* auribus? testis *Clerus*, testis *Populus*, testis omne *Pascha*.

Quare præfatos (huius regni fidei catholicæ tenacissimi) Regulares, viros pietate, eruditione, prudentia, animarum lucrandarum zelo, vel usq; ad sanguinis profusionem communiter insignes domi forisque, immeritò & indigne accusatos existimamus.

Certe vel hoc uno encomiastico ô Antistites demeriti estis Regulares, uti bene impensos, & locatos omnes suos labores existimentimo & tot officia ad vos sublimandos & in episcopales cathedras elevandos uti sedeatis cum principibus, cum principibus populi sui: quos honores proprijs viribus & industria profecto vix, ante nullatenùs assequi potuissetis. Quis autem sit ille sanguis quem Regulares profuderint in causâ fidei nos hujus regni incolas adhuc latet, cujus omnem guttam parati sumus de terrâ lambere, si quo loco fuisset effusus nobis constitisset. Ex his nostris Regularibus (inter quos nulla regularis disciplina aut observantia viget) paucos certè pietate eximios, aut eruditione vidimus, Apostatas à fide multos, malo exemplo plures, prudentia saltim sæculari insignes non paucos, lucrandorum nummorum zelo vel maximo æstuantes fere universos, animarum fortassè nonnullos. Testis sit *Clerus*, testis *Populus*, testis omnis *Hibernia*.

Cæterùm quo exactius Provinciæ nobis impositæ fieret satis, delatorum duos R. Do. Iacobum Fallonum, & Terentium Coghlanum *diversarum facultatum Doctores in hoc*

regno

regnojam commorantes, prædictarum Propositionum coram examinavimus, qui jurati tantum affirmarunt se audivisse quosdam Regulares, idq; in privato colloquio proferentes secundam, tertiam & quartam. reliquas verò, ab alijs quibusdam Regularibus similiter in privato colloquio prolatas fuisse, aiunt se ex aliorum solummodo relatione intellexisse.

Num arbitramini optimi Antistites satis fieri à vobis vestræ provinciæ (fateor voluntariè magis susceptæ, quam ab ullo superiore vobis demandatæ) si duos tantum presbyteros (tot alijs præteritis, & omissis) ad hoc clancularium examen advocaveritis. Certè si hi duo venerabiles presbyteri, tres ex illis undecim prolatas propositiones audiverint. Quid si ex *Dubliniensi* provincia sacerdotes aliquot coram vobis astitissent? ex illâ inquam provincia, quam vos benè noveritis fuisse scholam, ex quâ, tanquam ex equo Trojano prodierunt hæc prophana & perversa loquentes? Frontem de rebus? Nihil vos movet hæc protulisse coram prudentibus & sapientibus, imò in faciem totius Christianitatis? quæ nihil in se habent præter factionem, & studium partium omni ratione pugnantes, non quo veritas in lucem prodeat, sed quo magis obscuretur, non quo ecclesiæ in his partibus laboranti, honori & subsidio, aut clero & pastoribus præsidio, & ornamento esse possitis: sed ne vestris charissimis filijs Regularibus ullo officio deesse videamini.

Sed concedite ornatissimi viri, uti hæc seria omittentes, relaxemus ad tempus animos, & minus serijs nos oblectemus, supersedentes (inquam) his logicis, ad grammaticalia descendamus, quorum studijs in juventute vacantes, nonnihil intenti fuerimus. Ego igitur senex, vos juniores, (licet dominos meos plurimum honorandos) à vestris tribunalibus ad *Prisciani* subsellia

invito

invito paulisper. Illud enim vestrum *examinavimus* de malè acquisitis examinandum puto. Dicitis enim in hac periodo, *Duos delatorum harum propositionum coram examinavimus*. Syntaxim & regimen hic quæro, quo *Examine* vult genitivum cum accusativo. Sed ô me senem obliviosum: Ecclesiastici estis, & illud *Despanterij* haud vulgaris Grammatici hujus solœcismi vos excusabit, quo dicit.

Grammaticas leges non rarò Ecclesia spernit.

Vnicum insuper Religiosum in festo S. Dominici in panegyrica illius sancti semel prædicasse. Monachos esse selectiorem partem gregis Christi ac Hierarchiæ ecclesiasticæ membrum: ad quæ omnia probanda se obtulerunt prænominati delatores. Fatetur quidem Religiosus ille concionator se prædictam doctrinam prædicasse.

Habemus hic præter secundam, tertiam, & quartam propositiones superius ascriptas Regularibus per illos duos R. sacerdotes juratos testes, jam septimam publicatam, eamq; pro concione à Monacho Franciscano, nomine *Thomâ Strong*, quam habuit in festo S. *Dominici*, in conventu Dominicanorum, ann. Dom. 1627. in concione aderant septem Regulares, (præter *Dominicanos*) partim *Franciscani*, partim *Capucini*, partim *Ignatiani*. Non sunt autem ex his reperti, qui aut tunc, aut ex eo tempore, huic concionatori aut verbo aut scripto contradixerunt, consenserunt ergo. Vides jam tandem ad oculum (lector) quatuor ex his maledictis propositionibus pro consessis haberi, & manifestatas in hoc tam angusto & privato scrutinio. Pergamus ad reliqua.

Regularium tamen ordinum superiores constanter negant Regulares sibi subditos, ullam ex prædictis propositionibus in privatis colloquijs, multo minus publicè protulisse, & perso-

nas accusatas ad se purgandas coram producere parati sunt.

In hâc certè periodo Regularium ordinum superiores negant rem constanter, de cujus (quoad veritatem) negatione nullo modo certi esse possunt: Dico ex fide & relatione suorum subditorum. Qui enim sunt animo, tam reprobas doctrinas asserere, & in vulgus efferre, easdem etiam celare suos superiores (qua fronte velint) possunt. Hic autem Monachus sive Cordiger, nomine *Thomas Strong*, qui septimam propositionem pro concione populo propinauit) uti ex superiore sectione constat.) Non ita pridem Guardianus fuit conventus sui ordinis in hâc civitate *Dubliniensi*, cujus unius prava & detestanda opera & ambitione hæ contentiones & acerbitates inter Clerum sæcularem, & Regulares, primò exoriebantur, & gliscebant. Est etenim penes nos (Clerum inquam *Dubliniensem*) manuscriptum quoddam hujus Cordigeri multorum manibus tritum, imò & sæpius transcriptum, præcipuè verò à *Iesuitis*, qui illud studiosis & alumnis suis communicabant per classes (dum grammaticis rebus vacabant) exarandum, in quo libro sex harum propositionum, scil. prima, secunda, tertia, quarta, septima, & octava, ad oculum & in terminis habentur], (uti superius admonuimus lectorem.) Imò non defuerunt ex fratribus *Iesuitis*, qui omnia in hoc libro doctrinalia susceperunt in se contra nos defendere & propugnare præcipuè verò & in faciem *Guilielmus Malone*, qui hodiè apud suos Rectorem agit in hac urbe, & alius etiam ejusdem ordinis nomine *Thomas Quin*. Ambo semidocti, sed & seditiosi ambo.

Nos tamen dum in hoc negotio gnaviter incumbimus experientia docti, quam difficile & periculosum sit, profectum hisce temporibus singulas personas quarum interesse possit

longè

longè lateque dissitas convocare aut convenire, cogimur ulteriorem examinationem omittere, ac in mitiora tempora differre, si Deus dederit, idq; sua sanctitati nobis mandare placuerit, quæ utiq; & reliqua omnia nos & nostram afflictam patriam concernentia sanctissimi Dom. nostri, & eminentissimorum patrum iudicio, pro suo in hanc præsertim, & universam Ch. sponsam affectu & solicitudine consideranda submittimus, & sanctitatis suæ pedes deosculamur sanctissimos. In quorum fidem hisce subscripsimus & sigilla nostra apposuimus. Datum in Hibernia *die 4. Septemb. anno Incarnationis Dom. 1631.*

At certe hi gravissimi & sapientissimi patres has omnes superassent molestias, & difficultates, si se contulissent ad ea loca, quibus & sacerdotes testes & regulares reos habere potuissent satis numerosos, hanc (inquam) si adijssent provinciam *Dubliniensem*, in qua nos vivimus, & cui Archiepiscopus cum suis quatuor comprovincialibus præest & moderatur, etenim.

Hic locus, hæc cathedra est infamis, qua docuere,
Pseudologi patres, & qua dominantur arena.

Imo si vel ex illo catalogo testium quem illi duo examinati presbyteri coram pro tribunali sedentibus exhibuerunt aliquos citassent ad comparendum, peractum esset hoc totum negotium. Neutrum verò horum facientes. Quid mirum? si rem haud commodè inceptam, imperfectam reliquerunt. Nec est quod tempora culpent, aut imputent nescio quibus impedimentis tam imperfecti operis reliquias, Nulla enim necessitate, aut persequtionis metu angustiati erant hi præsules, quo minus quæ vellent auspicatò exigerent: quin nobis potiùs visi sunt gnaviter in hoc studio incubuisse ut aliquid agendo, nihil agerent, saltim quod vergerent in notam Regularibus, aut illorum existimationem quo-

quo modò læderet. Non est inquam quod hæc *Panica* & terriculamenta (nescio an magis vana, quam conficta) eos retardarent, in aliquo opere, aut negotio, aut studio, aut labore, quæ serio & ex animo aut incepisse vellent, aut complesse. Nonne videmus hos ipsos prælatos? nullo certe metu exanimatos, omni fere die vocantes ad se ex omni ordine Regularium quos, & quot volunt sibi adesse in concilijs, & disceptationibus, imo & pastores suarum jurisdictionum statis temporibus congregantes? Quoties (inquam) vidimus Ordinarium nostrum Archiepiscopum *Dublinienſem* in meditullio hujus civitatis, quæ est totius regni metropolis clerum suum, Regulares suos convocantem? idq; in rebus non maximi momenti. An nobis persuadeat se formidolosum esse, aut sibi male ab inimicis metuentem, qui quando, & quoties sibi fuerit libitum, intrepidus ad hanc civitatem, accedit, quin & longas in eadem (non raro) peragit moras: qui toties per omnia hujus urbis oratoria evulgat coram millibus censuras, & edicta nullo contradicente, aut obicem ponente ecclesiastico suo regimini & administrationi. Facile est absentibus imponere, nobis verò qui sumus in eadem scena, & statione non æque facile.

Quandocunq; ergo placitum fuerit summo Pontifici, & purpuratis patribus in hac *Dublinienſi* provincia, aut alibi per universam *Hiberniam* inquisitionem in materia undecim propositionum mandare liberam, manifestam, & conspicuam: suscipimus in nos clerici pondus, & onus convincendi & agendi reos non paucos, imò valde multos ex Regularibus, tam de divulgatione illarum, quam defensione, sub quibuscunque ad hoc designatis arbitris.

Et sic sanctitatis suæ pedibus advoluti, obedientiam

sedi

ſedi Apoſtolicæ profitemur debitum, precantes pacem eccleſiæ, omnibus paſtoribus, & quibus præſunt ſalutem temporalem, & poſt fata vitam in cæleſtibus interminabilem.

Corollarium.

Lector quicunque fueris cordatus, & oculatus, ſi hoc inſtrumentum, ſivè relationem ab his Epiſcopis ad urbem tranſmiſſam de hoc qualitercunq; tractato negotio ritè tecum perpenderis: invenies proculdubio cauſam Regularium (illis vel maxime invitis) lubrico ſtare loco, imò propendere ad ruinam. Nec abs re fuerit ſynopſin prædictorum tibi ſub oculis ſubijcere.

1. Notabis primo loco illam diſtinctionem, tanta ſubtilitate huic ſcripto inter-textam de *ſeriò*, & *paſſim*, quaſi excogitatam ad excuſandas excuſationes in peccatis.

2. Secundò obſervabis in hoc apologetico Regulares convictos de tribus ex undecim detenſis propoſitionibus, idq; clariſſimis duorum preſbyterorum teſtimonijs, & omni exceptione majoribus.

3. Tertiò aliam inſuper illarum vides pro ſua agnitam à cordigero *Tho. Strong* (quem in hoc ſcripto appellant monachum) quam & à ſeipſo pro concione publicatam profitetur.

4. Quartò advertes ipſos authores hujus Apologiæ pro Regularibus clare profeſſos, quod duo illi ſacerdotes & doctores D. *Iacobus Fallon* & *Terentius Coghlan* perſonaliter coram ipſis comparentes obtulerunt ſe, ad probationem, quod & de cæteris etiam propoſitionibus de quibus accuſabantur, reos & nocentes facerent Regulares. Sed hanc confuſionem ſuorum amicorum

micorum non ferentes hi judices, quasi meticulosi de periculis hos testes ulterius audire de his rebus non sustinuerunt, dicentes omnia in matiora tempora differenda. & sic discessum est.

Quocirca (non obstante hac tanto studio elaborata apologia in gratiam Regularium) nequidquam satisfactum fuit summo Pontifici, & Cardinalibus de illorum innocentia, quos magis ex hoc scripto arguebant reprehensibiles, illos inquam Regulares, quos non dubitabatur reperiri hac examinatione justificatos, & omni labe purgatos. Quid de his rebus censebant *Romani* patres haud nobis erat obscurum uti alias, sic etiam per literas Nuncij Apostolici *Parisiensis* missas ad R. Antistitem *Fernensem* 13. Aprilis stilo novo in hæc verba. 1632.

Recusiam tandem agnoscit sedes Apostolica, & justissime accusatos Hibernos Regulares de patrocinio, & publicatione undecim propositionum,

Fasciculum literarum suarum alligatum priori epistolæ misi ad sacrum congregationem de propaganda fide, nec parum me edificavit studium pietatis quod in ipso præferebatur, uti non poterat, non displicere absurdâ doctrinâ undecim propositionum, quæ Hibernicis regularibus tribuebantur: ita etiam probari neutiquam potuit eas falso fuisse illis assimulatas, sentit Apostolica sedes illas omnino supprimendas. &c.

In elucidationem etiam huius controversiæ vel maxime in rem fuerit attexere illud grave testimonium quod ad urbem dedit de hac materia requisitus R. in Ch. *David* Dei, & sedis apostolicæ gratia Episcopus *Osiriensis* cui propter personæ gravitatem, summam pietatem, eximiam eruditionem, suavissimos mores, omnes huius regni Antistites, & ecclesiastici tantum deferunt, quantum sui ordinis, & conditionis nemini: cujus unius prudentia & concilium quam fuit utile summeq; necessarium in maximis *Hibernæ* ecclesiæ difficulta-

ficultatibus, & sæpius experti sunt, & gratissimis animis agnoscunt. Hunc jam auditc omissis (quæ ad alias res spectant) lineis initialibus.

Cum hoc tamen fateri oportet, ne inveniamur falsi testes Dei, nonnullos è regulari professione aparuisse inter nos, qui disceptationibus, & molitionibus litigiosis, & indisciplinatis questionibus plus iusto aliquando studijsse, (sivè in concionibus, sivè in conferentijs ecclesiasticis, sivè in familiaribus colloquijs) videbantur clero nostro pastorali. Quorum in eo genere libertatem, qua debuimus moderatione & suavitate pervicimus. Atque inter undecim propositiones scholæ Parisiensium *censuris (elapso* Ianuario *(expositas, nullam nobis molestiorem fuisse, aut pugnacius adversus nos defensam meminimus, quam quæ de communione Paschali non necessariò percipienda à proprio parocho, clam & palam contendebatur, idq; ab unius tantum Regularis instituti hominibus.*

De reliquis ferè propositionibus istis, & de alijs quibusdam ex eodem fonte manantibus negare non possumus tumultuosos alibi sonuisse sermones, & disceptationes, ac scriptiones etiam amarulentas, præsertim in Diœcesi Dublinensi) *in quibus multa continebantur paci ecclesiæ, ædificationi charitatis, regimini hierarchico, & disciplinæ etiam regulari, ut nos opinamur) dissonantia. Quas scriptiones cùm ad examen sedis Apostolicæ revocatas esse intelligimus, nos supremi tribunalis judicium non temerè præveniendum, sed cum demissione præstolandum arbitramur. Et quia propositiones ipsæ quæ* Parisijs *exhibitæ sunt de Regularibus, indistinctè loquuntur in* Sorbonicæ *censuræ titulo, ut verum habeant, non de omnibus ubilibet Regularibus nostris, sed de quibusdam specialibus personis, & diversis temporibus, locisq; hinc inde separatis (quantum nos quidem consequi potuimus) accipi debent. Et in hujus nostræ attestatio-*

nis

nit fidem, quæ consultum esse cupimus bonorum omnium & præsertim Regularium famæ, quos etiam in visceribus Christi complectimur, hoc præsens instrumentum nomine nostro subscriptum, & sigilli impressione munivimus. Datum die 25. Maij 1631.

David *Episcopus* Oforiensis.

Locus Sigilli.

Vides (lector) testimonio hujus præclari Antistitis, & viri tanti nominis in ecclesiâ *Hibernicâ* expositas perversitates Regularium, tam in doctrinis pravis disseminandis, quam animosè & litigiosè defendendis, & hoc præcipuè (ubi sæpius inculcatum est, & ex hoc testimoniali constat) in Diœcesi *Dublinensi* sub Archiepiscopo nostro *Franciscano*. Hac inquam Diœcesi *Dublinensi* quæ olim fons signatus, hortus conclusus, ager Dominicus, hodie facta est illa *Lernæ* sive *Argivæ* palus, in quâ hæc *Hydra* tot capitum primò orta & progenita fuit. Imò faxit Deus uti non pejora monstra inter hos indisciplinatos monachos exsurgere videamus, in magnam cladem hujus renascentis ecclesiæ. Quid enim de tam vastâ illorum potentiâ, divitijs, superbia, alij sentiunt, scio, mihi autem quid expectem, non libet augurari. Tantum quæ sunt ante oculos fideliter exponam, nec abuti volo auribus absentium.

Te ergo (lector,) & te tandem *Vrsulane* voco & invito ad nostras scholas & subsellia, ad nostros inquam cœtus tot pastorum, & presbyterorum de clero sæculari, qui uti non sunt alijs ullo eruditionis genere (de plerisq; loquor) inferiores, sic certè fide, pietate, constantiâ in exantlandis laboribus, in subeundis periculis, in

ferendis

ferendis adversis, cum summis viris sunt certè comparandi. Adde quod & sedis Apostolicæ semper sunt habiti obsequentissimi *Hiberni* cleri pastores.

Cùm hactenus igitur aliorum jurisdictiones, & districta perambulantes sequuti sumus illos qui his controversijs se aut sponte immiscuerunt, aut sub prætextu alicujus mandati tanquam datos arbitros se habuerunt: tempus jam, & res postulat, uti domum nos conferentes, quid à nostris actum fuerit in disquirendis patronis & authoribus istarum thesium, & doctrinarum (de quibus omnis disceptatio & lis est) tandem intueamur. Ne parvi horum diligentiam, studia, & labores facere videamur. In quo negotio instar mihi omnium erit illa intimatio, sive supplex libellus huic præsenti Archiepiscopo à clero *Dublinien si* porrectus, cujus tenor hic deponitur.

An. Dom. 1631. Novemb. 15.

Nos Lucas Rochfore *presbyter & pastor Ecclesiæ S.* Audoeni *apud* Dublinienses, *&* Paulus Harisius *presbyter, testamur nos paratos esse coram Ill Archiepiscopo* Dublinien si *Ordinario nostro vel ejus Vicario in spiritualibus* Roberto Plonketto *hoc ipso præfato die comparere ad prosequendam causam ecclesiæ Dei fideiq; catholicæ quatenus lædatur à quibusdam Regularibus Hibernis, & juxta libellum supplicem quem fecimus & obtulimus præfato Ill. Octob. 7. anni præsentis, & probare quod nonnulli Regulares fuerunt authores & evulgatores istarum undecim propositionum quæ damnatæ fuerunt ab Ill Archiepiscopu & Episcopis Gallicanæ Ecclesiæ & Doctoribus apud* Sorbonam, *quatenus & in quantum super illis accusati fuerunt à quatuor R. Presbyteris, quorum nomina præfixa sunt censuræ eorundem* Pa-

 risiensi um.

risiensium. *Dat. an. 1631. Ian. 15.*

Lucas Rochfort *Archi-diaconus Ecclesiæ majoris* S. Patricij, *& Rector* S. Audoeni *apud* Dublin.

Paulus Harrisius *presb. & almæ Vniversitatis* Dublin. *Decanus.*

Et ego Petrus Cadellus *sacræ Theolog. Doctor, obtuli Ill. hoc præsens scriptum, die & anno præmisso.*

Petrus Cadellus *S. T. D.*

Hoc ipso die & loco assignatis ab Illustriss. Nos præfati Lucas *&* Paulus *presbyteri personaliter comparuimus coram R. Archiepis.* Thomâ *Diœcesano nostro, & humiliter primo petentes benedictionem, causam exposuimus nostri adventus, quibus ille nihil respondens, continuò se contulit in aliud cubiculum, & post paulum recedens, intimavit se nolle nos admittere, ad audientiam in præsenti negotio, aut acceptare quas paravimus probationes adversùs Regulares. Et sic reverentiâ factâ discessimus.*

Lucas Rochfort *Archi-diaconus Ecclesiæ majoris S.* Patricij *Dublin. & Rector* S. Audoeni.

Paulus Harrisius *presb. & almæ Vniversit.* Dublin. *Decanus.*

Iacobus Fitz Garrald *testis.*
Richardus Bristan *testis.*

Habes hic (lector) rem de facto, rem adeò notam, & per omne hoc regnum ita diffamatam, ut ferè nullus sit de ecclesiastico cœtu quem latuerit. Si quis autem

sit

sit, cui fortè nondum innotuit, non tam nos, quam ipsum Archiepiscopum & Regulares hujus districti in testes consulat, nullus etenim inficiandi, aut tergiversandi locus relictus est, in re (inquam) tam clara, tam manifesta, tam aperta. Quid dicitis Regulares? Vos magni, vos soli Dioecesani nostri consiliarij. Quare non fuistis illi authores (si eâ fuis innocentiâ & immaculatâ fide qua velitis ab omnibus haberi) ut admitteret hos accusatores, & quos parati erant testes coram producere? Nonne vobis, vestræ famæ, & existimationi longè melius consulcum foret? si vestra integritas, fides, probitas, & modestia nota esset omnibus hominibus, ut conscientiam habentes bonam, & parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quæ est in vobis spe, obstrueretis omne os eorum qui loquuntur malum adversus vos. Imò verò veriti estis, & non sine causâ, *Ne pudenda vestra in facie vestra tandem revelarentur*, uti olim Propheta minatus est *Ninive*, Nahum 3. Imò licet hactenus facientes vobis perizomata de foliis ficuum, vos ad tempus à facie hujus solis & lucis abscondistis, atque sub alis vestri *Franciscani* & nostri Archiepiscopi, tanquam in umbraculo delituistis, ita ut nullus juris processus contra vos haberi, nullus accusator admitti, nullus testis audiri poterat: haud tamen timore vacui ullo tempore eratis, ne tandem nudati foliis, & educti latebris cùm fueritis, turpitudo vestra demeritam suam confusionem reciperet. Imò veriti estis, ne vestra facinora tam impia, & odiosa, quæ freti magnis amicitijs hactenus ipsum *Petrum* ad ecclesiæ clavum sedentem, *Romanosque* patres celastis, tandem per urbem decantanda forent, quòd & vobis hodie accidisse videmus.

Meminisse etenim potestis, ô Regulares Hiberni

quoties illis quatuor R. presbyteris, (qui partim accusatores, partim testes fuerint contra vos coram *Parisiensibus*) minitati estis, non famæ tantum dispendium, sed & extrema omnia: de quorum injurijs miserum conquesti estis apud sedem Apostolicam libello illo supplice quem communi concilio obtulistis D. nostro *Vrbano* PP. 8. omni modo contendentes, urgentes, & instantes, uti propter falsa & damnosa in vos dicta testimonia severa & exemplari castigatione in illos uti in perjuros, calumniatores, & malefactores animadverteretur. Imo & *Romani* patres tam sacræ congregationis de propaganda fide, quam de sancto officio Inquisitionis dicuntur multum doluisse vestro dolore, & faciles annuisse precibus, non semel professi, quod si culpabiles invenirentur, aut malæ fidei illi delatores in ferendo testimonio adversum vos ô privilegiati nullo modo impune illis foret. Fidem autem his meis dictis facit quod *Ludovicus* Card. & *Romæ* Vicecancellarius scripsit nonita pridem ad Provincialem *Carmelitarum* in hoc regno degentem in hæc verba. 10. Kalend. Junij 1631.

R. Pater nuper delatæ querelæ coram sanct. sunt Dno & sacra Inquisitionis congregatione, de traductis indign. totius Hiberniæ *Regularibus, à quodam turbulentissimo viro* Patricio Cahil *qui plures propositiones tanquam ab ijsdem Regularibus prolatas* Parisienſi *subjecit censuræ. Sane tanta est illarum absurditas, ut vix credi possit ab ullo vir sensato, multo minus passim à Regularibus (ut censura præmittit* Parisiensis) *proferri. Vt rei veritas innotescat. scriptum est ad quosdam illius regni prælatos à quibus expectatur informatio. Interim visum est sacræ congregationi, ut nos (ex protectoris quo fungimur munere) admoneamus, & rogemus*

V. P.

V. P. ne ex dolore, aut vindicta illata (ut pretenditur) calumniæ, quidquam agat erga tumultus authores, ne maiores excitentur turbæ, sed offensiones & injurias suas suorumq; remittat sacræ congregationi, qua plene satisfaciet, & justa censura corripiet, ac pœna afficiet calumniæ (dum constiterit) architectos. Præcipuus delator hic ex præcepto S. Officij detinetur donec veritas elucescat, qui si culpabilis appareat, non abibit impunis. &c.

Abibat autem *Roma* impunis eminentissimè Cardinalis, & nulla censura notatus. Non culpabilis ergò apparuit, non architectus ullius calumniæ. Quid dixi *impunis?* Imo peream si non *Romanis* honoribus auctus, insuper & viatico donatus ad suos remeavit, ascitus non solum in collegium protonotariorum Apostolicorum sed & potitus ijs omnibus ad votum, pro quibus potiundis actor erat in papali curia. Quid ingeris *Vrsulane?* aut cui dentibus infrendis? Nonne hæc sunt manifesta indicia (ex ore ipsius Cardinalis te iudico) & firmissima testimonia probitatis, candoris, & innocentiæ in hoc sacerdote *Patricio Cabil?* Num sic solent sicophantas, mendaces, & perjuros homines *Romæ* remunerare? Num sic calumniatores & delatores innocentum? Imo prudens est ille eminentissimorum patrum senatus, tam artifices scelerum severe castigare, quam eos qui veritatem è tenebris eruunt, & sublato fuco pristino nitori restituunt, amplecti, & fovere nec permittere (qua sunt humanitate) uti ad suos inhonorati; indonati, inglorij, remittantur. Dum hæc autem *Romæ* aguntur, quid tu interim *Vrsulane?* Quid tui consocij, & symmistæ? Deus bone, quot diras, quot cruces, quot flammas, quot triremes in hunc unum evomuistis sed pessimis certe augurijs, dum in proprium caput iniquitates vestræ descenderunt. Dum tales reperti fueri-

 tis,

tis, non quales voluistis, non quales expectastis, sed quales intus, & in cute estis: imo quales in foro fori manifestati fueritis, tam *Romæ*, quam *Parisijs*, quam *Dublinij*, quam ubivis locorum authores (nimirùm) & propugnatores perversorum dogmatum. Hunc verò D. *Patricium Cahil* quem vos turbulentissimum hominum non semel nuncupastis, quem toties devovistis, videtis hodie superiorum demandatione in pastorem, & rectorem parochialis ecclesiæ evectum in hac ipsa *Dublinensi* civitate totius *Hiberniæ*, metropoli, & dignum indicatum ab ipso Archiepiscopo, qui in partem suæ solicitudinis reciperetur, in maximum fidelium solatium, animarum salutem, & ecclesiæ non mediocrè ornamentum. Deniq; in quem tot dura, tot indigna perpessum, illud prophetæ quadrat. *Non relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum, ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas.* Psal. 124. 3.

Quid de tribus alijs dicam, qui etiam in eadem causa insurrexerunt apud *Parisienses* contra vos ô Regulares scil. *Michaele Contzele*, *Iacobo Fallon* sacræ Theologiæ, & *Terentio Coghlan* juris utriusque Doctoribus: qui veri Dei testes contra vos, reperti honores & dignitates in ecclesia assequti sunt amplas, & promeritas, quorum primum hodie videmus in urbe causas ecclesiasticas tractantem in communem *Hibernicæ* ecclesiæ usum. Alij duo apud nos in hâc *Hibernia* agunt. Ille Vicarius Apostolicus *Achadensis*. Hic Diœcesis *Cluanensis*, & Protonotarius; Ambo cum laude suis districtis præsidentes; Ambo pietati, & animarum lucro imendentes. Cogita apud te *Ursulane*. Num homines impios, perjuros, fratrum suorum delatores, & accusatores malitiosos, aut potuisse designari ab *Hiberniæ* Episcopis hujusmodi officijs, aut admitti à Summo Pontifice & sapientissimo

entissimo Cardinalium senatu, ad tanta munera obeunda. Quocirca tandem de his Ven. Sacerdotibus omnibus in ecclesiastica dignitate constitutis dicam qui decantent Fratres (omnes inquam quibus ægre est, his bene esse) illud Psalmistæ. *Nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum.* Psal. 138. 17.

Et jam dimensus his brevissimis spatijs quæ tu *Vesalane* multum tautologus in hoc tuo tumultuario opere nobis objeceris, hoc meum *Equivesalanum* respondendum tandem concludam. Nec miretur Lector non ulterius tuis campis expatiatum me. Quandoquidem has nostras animadversiones prævenerant illi tres ex *Sorbonico* schola inclyti doctores *Franciscus Hallier*, *Petrus Aurelius*, & *N. Le Maistre*. qui eximerunt me (fateor) magno tædio, & nonnihil laboris in convellendis & labefactandis illis, quæ tu *Vesalane* per varia capita, tuo more verbosus disputasti. Coincidunt enim magna ex parte tua cum illis, quæ ante te congerebant (similes enim habent labra lactucas) seditiosi illi *Ignatiani* fratres *Daniel de Iesu*, *Nicolaus Smith*, *Hermannus Lœmelius*, contra Ecclesiasticam Hierarchiam quorum pernicioſa & virulenta dogmata præfati authores in magnum Ecclesiæ emolumentum, sui nominis fœliciſſimam memoriam, & *Sorbonicæ* scholæ eximium decus, doctè, piè, & nervosè infirmarunt, dissarunt, dissiparunt. Et quis ego qui post tantos *Homeros*, *Iliades* conscribam? Reliqua (quæ fere omnia sunt res de facto, ad hoc vel illud negotium, hanc vel illam personam pertinentes) in paucis istis periodis è tuo *Iuridico examine* delibatis, et huic nostræ opellæ inscriptis, mihi visa sunt comprehendi. Atq; fateor semper ad finem festinans fui, postquam intellexissem hoc tuum *Iuridicum examen* ab

omni-

omnibus hujus regni Episcopis (excepto uno, aut altero *Franciscano & Dominicano* similibus) damnatum, vetitumque legi, quin & in urbe, & obvius quo accessit locorum, tam in fide erroneum, quam moribus improbum perstringi, & censeri.

Attamen te mihi non minus charum putes *Xylander*, quod aliquoties, aut toties te reprehenderim, tua mendacia redarguerim, vitia notaverim, errores cum libertate refellerim. Arbiter sit pro me, imò inter hos S. *Augustinus* super epistolam 1. *Iohannis*, in hæc verba: quibus non dulcius potero hanc scriptiunculam terminare. *Non putes te tunc amare servum tuum, quando eum non cædis: aut tunc amare filium tuum, quando ei non das disciplinam: aut tunc amare vicinum tuum, quando eum non corrigis. Non est ista charitas, sed languor. Fervet charitas ad emendandum, & corrigendum. Si sunt boni meriti, delectent, si autem mali, emendentur.* Ita *Augustinus*, cujus suavitate vocis jucundum fuit calamo meo expirare.

Ad

Ad S.D.N. *Urbanum* 8. *Pont. Max.*

BEatiſſime Pater. Hâc tempeſtate ſurrexerunt inter nos ex ordinibus Mendicantium, viri perverſa loquentes, & multos diſcipulos poſt ſe abducentes, non ſolùm in materiâ undecim Propoſitionum, ſed etiam in pejus proficientes, cupiunt nos tranſferre à gratiâ quam accepimus, in aliud euangelium: quippe prædicant tam per civitates, quam per pagos, rura, & caſtella, tam publicis cœtibus, quam privatis domibus, tam apud clerum quam populum: Quòd

Si qua perſona ſuſceperit Scapulare Carmelitarum, & ad corpus applicatum jugiter ſervaverit, non damnabitur in æternum. Divulgant porrò: Quòd

Si qua perſona jejunaverit primo ſabbatho poſt quam audiverit de morte Luiſſæ *religioſæ fœminæ, ordinis S.* Claræ, *de morte ſecundâ non erit illi timendum.*

Sanct. Pater, Rem indulgentiarum non tracto, non tango: prædicta dogmata queror, & Sanct. tuam per cruci-affixum adjuro, uti confirmes fratres tuos, & gregem tuum in his partibus, ne abducantur his novis doctrinis, & doctoribus, ab avitâ fide quam mater eccleſia nos ab ubere docuit, ab his inquam doctoribus, qui hæc placentia, ventriq; inſervientia perſuadent. Sed potius uti permaneamus in iis, quæ didicimus, & nobis credita ſunt. Neutiquam hos novos Apoſtolos admittamus tanquam de cœlo demiſſos, ſed potius ab inferno emiſſos, ut ſeducant gentem evitemus. Nos enim ſtulti credimus; Quòd is qui natus erat de *Mariâ* intemeratâ virgine, Deus & Homo, *Ieſus* & *Emmanuel*: Qui ſub *Pontio Pilato* tot & tanta tormenta in cruce ſit

passus: Qui post mortem glorioſus revixit, & in cœlos aſcendit. ille & non alius redemit nos de maledicto legis. Quòd, ipſe & non alius mundavit nos ab omnibus iniquitatibus noſtris. Et quod neq; *Paulus*, nec *Cephas*, nec *Apollo*, Non ſcapulare *Carmelitarum*, non *Luiſſa* ſanctæ *Claræ* (ſit vel fœmina ſanctiſſima) ſuo ſanguine nos lavit, aut pro nobis crucifixa fuit.

Dediſti nobis (ſanctè pater) in paſtorem animarum, ex ordine S. *Franciſci* fratrem, conſecratum in Archiepiſcopum *Dublinienſem*. huic Diœceſano noſtro hunc ſupplicem libellum adornavimus, & præſentavimus. Ex quo intelligat tua ſanctitas, pro illa ſapientia, quæ deſuper ſpiritus ſanctus te donavit, quam nigra, nec tamen formoſa ſit eccleſia hæc *Hibernica*, cui te Chriſtus in terris fecit ſponſum.

Honoratiſſimo & Rev. Dom. *Thomæ Flemingo*
Archiepiſcopo *Dublinienſi*:
Libellus ſupplex *Petri Cadelli* S. T. D.
& *Pauli Harriſij* preſb.

Queruntur coram vobis Ill. præſul. præfati ſacerdotes, de variis doctrinis novis, & falſis, nuperrimè divulgatis à quibuſdam Regularibus: maximè verò à fr. Thomâ Babe *Franciſcano, & fr.* Iohanne Plonketto *Carmelitano, in magnum eccleſiæ ſcandalum, & ruinam animarum. Petunt igitur ut pro munere paſtorali quo fungitur inclyta veſtra dominatio, velitis citare ad comparendum coram vobis præfatos fratres, unà cum prædictis preſbyteris, ut intelligatis tam de quibus illi fratres accuſantur, quam quid contra eos alligari & probari poſſit in præmiſſis. Ita Deus ſit vobis omnitempore propitius. Martij 7. 1631.*

At quidnam acceperunt reſponſi ab Archiepiſco-

po

po ad hanc petitionem illi ſupplices preſbyteri? Certè nullum: neq; hilum ſuis querelis uſq; adhuc profecerunt. Verendum utiq; ne hic morbus (ſerpit enim ut cancer) ipſum caput, non minus quam reliquum corporis invaſerit, imò depaverit. Et in hanc ſententiam non levibus argumentis inducimur, præcipuè verò cùm videmus hos errores, & pſeudo-dogmata magis magiſq; ſe diffundere, & dilatare, indieſq; invaleſcere apud populum, heu nimis cereum in deviâ flecti. Sunt enim innumeri ex Regularibus, maximè ex *Franciſcanis*, & *Carmelitanis* pſeudo-apoſtoli, qui hæc pro roſtris publicant, imò & qui univerſas domos ſubvertunt, docentes quæ non oportet, turpis lucri gratiâ. Haud enim modicum queſtus horum mendaciorum fabricatoribus conſurgit: imò verè cum *Demetrio* argentario poſſunt dicere: *De hoc artificio nobis eſt acquiſitio.* Enim verò quis eſt qui aliquid ſupereſſe poſt fata & funera credit? qui non inferni pœnas evadere? qui non beato ævo cœleſtibus frui velit? At genium teſtor. Quid facilius unius diei jejunio? Quid tollerabilius quam geſtare duos panniculos quadratos à pectore & ſcapulis pendentes, geſtamen haud utiq; onerosum, nec adeò moleſtum, ac illud tranſverſum lignum quod (bajulans ſibi crucem uſq; ad montem Calvariæ) dulcis *Jeſus* ſuſtinuit, & in quo ſalus mundi pependit. Certè ſi animarum fœlicitas in futura, & certitudo ſalutis in hac vita tantulo negotio, & eo laboris compendio comparetur. Quis eſt tam *Euclio*, & avarus? Quis tam *Lucianus*, & *Atheus*? qui non admittet hos ſalutiferos fratres, in ærarium, in horreum, in armenta, & greges, imò in univerſum peculium, non triſtis, ſed hilaris dator. Imò aut quæ mulier cui cordi eſt animæ ſuæ ſalus, in totam ſubſtantiam, inaures, monilia, annu-

los, omnemq; supellectilem, mundumq; muliebrem non involet, non saeviat, quo hos sibi propitios habeat, & tam praesentes deos.

Dictum est a Chr. Domino Math. 7. *Angusta est porta, & via arcta quae ducit ad vitam, & pauci sunt qui inveniunt eam.* Et prævidens Chr. Dominus, venturos in novissimis temporibus, qui hanc viam & portam ampliarent, continuò addit: *Attendite à falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Horum etenim juxta placita, non minus hodie cœlum, quam infernum dilatavit os suum. Nam licet Apostolus excluserit à cœlesti gloria non paucos, dicens: *Hoc enim scitote intelligentes: Quod omnis fornicator aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hæreditatem in regno Chr. & Dei.* Hos verò *Franciscanus* admittit munitos uno sabbathino jejunio in honorem *Luissæ* fœminæ religiosæ S. *Clarae*, & licet Chr. Dom. excluserit hominem non habentem vestem nuptialem à suo regno: admittit tamen *Carmelitanus* quemcunq; vestitum *scapulari*, tam ad prandium magni Regis, quam ad cœnam Agni.

Nec est quòd Regulares nostri studeant palliare has suas blasphemias dicendo, hujusmodi propositiones sanè intellectas non importare quemvis peccatorem tali *jejunio*, aut *scapulari* munitum salvandum fore, sed unà de peccatis contritum, & totum sanguine Redemptoris. Nam neq; hujusmodi conditionem exprimunt; & si pro expressa haberetur, omnis illa doctrina de sabbathino jejunio, & scapulari non minus magnificè jactata à Regularibus, quam superstitiosè à populo credita, imbibita, & exculta prorsus corrueret, & evanesceret. Talis enimverò, taliterq; homo dispositus, est aptus ad regnum Dei, & ad recipiendam hæreditatem

inter

inter sanctos & electos, imò vel *scapulari*, non accinctus, nec *Luissano* jejunio assuetus.

Nec se à nota pestilentissimæ hæresis hoc nomine immunes se existiment Regulares nostri, quod præter huiusmodi *jeiunatores*, & *scapularium* gestatores aliose, tiam intrare finant in regnum cœlorum. Dico dum hos omnes, licèt non solos ascribant in catalogum salvandorum. Quæro enim in quo verbo hoc præsumunt? Aut unde habent ex divinis oraculis, ecclesiastica traditione, aut patrum monumentis, hanc securitatem salutis, & certitudinem polliceri, aut statuere de filijs *Adam* in particulari & individuo, dū sunt in via, & extra statum, dum à Domino peregrinantur, & exules sunt à patria quod eorum nomina scripta sunt in libro vitæ. Audio *Salomonem* amanuensem Sp. sancti dicentem Prov. 20. *Quis potest dicere. Mundum est cor meum.* Iobum 9. *Etiamsi simplex fuero, hoc ipsum ignorabit anima mea.* Apostolum ad Phillip. 2. *Cum metu & tremore vestram salutem operamini.* *Augustinum* in Psal. 40. *Scio quod iustitia Dei mea manet. Verum an iustitia mea maneat, an non, ignoro: terret me enim Apostolus inquiens. Qui existimat se stare, videat ne cadat.* Deniq; audio Concilij *Trident.* patres, hanc perseverantiæ certitudinem non semel damnantes, & anathematizantes. sess. 6. cap. 13. & can. 15. & 16. Nec certe mirum, cum hæc una præsumptio salutis sit omnis nequitiæ, & impietatis, omnium effrontium libidinum, & perditarum voluptatum esca, & lenocinium, qua semel hausta, & imbibita, quid de cætero curandum in rebus animæ? Habeo Scapulare à fratre Carmelitano mihi à collo pendulum, amuletum præsentissimum contra infernum. Quid ego de cætero mandata Dei curem? aut ecclesiæ? Quid concupiscentijs laxare fræna erubescam? Quid vela da-

re formidem, quo impetus appetitus, & efferæ mentis violentia me rapiet præcipitem? Quid jam opus est ut vetijs diutius bella geram? aut amplius obsistam dulcitum malorum oblectamentis? Imò quid ni cum sapientissimo Regum dicam, imo re & opere compleam. *Omnia quæ desiderauerunt oculi mei, non negaui eis, nec prohibui cor meum, quin omni voluptate frueretur.* &c. Eccl. 2. Hæ sunt cogitationes, hi discursus, et latebræ mentis, quæ non raro in linguas et labia erumpunt hominibus, his errorum nexibus illaqueatis. Et quis est apud nos *Moyses* qui se murum et antemurale ponat pro domo *Israel*? Quis has congregationes *Abiram* compescat? Quis hunc novum ignem filiorum *Aaron* meliore flamma comburat? Quis hodiè est *Elias*? aut quis *Michaes* qui redarguat hos falsos prophetas, hos prophetas mendaciorum. Quis Christi Apostolus, qui hos pseudoapostolos, Apostolico zelo confundat? Imo vix unus *Petrus* apud nos reperitur, qui istos *Simones* impugner, vix unus *Paulus* qui istos *Hymenæos*, & *Alexandros*, tradat *Satanæ*, ut discant non blasphemare. Quotus enim quisq; est apud Ecclesiasticos, saltim in hoc nostro cœlo, & firmamento, qui his Regularibus tam irregulariter, imo extra sphæram propriam moventibus obniti contra, aut velit, aut valeat? Imo quis est fere, qui non rapida horum vertigine non feratur in supradictos errores præceps? si non expressa sententia at certe cõpresso labello, hic metu detentus ille fraude circumventus, tertius beneficijs pellectus, pleriq; omnium ad perniciosum silentium, & simulationem cum *Barnaba* ducuntur.

Nam licet Presbyteri de clero in his partibus sint magis disciplinati, & multo obsequentiores legibus ecclesiasticis, etiam & Superioribus quam Monachi, aut

aut Regulares. At certe quam illi non multo doctiores tamen: Numero vero, vel decuplo inferiores, uti videre est in hac metropoli totius regni *Hibernici*, in qua sex sunt tantum parochi, at ex Regularibus (plus minus) centum.

Ego *Paulus Harisius* Anglus sum, Presbiter sum, Sexagenarius sum, & in hoc regno *Hiberniæ* quatuor jam fere lustra annorum & ætatis mei peregi, missus à *Clemente* PP. 8. annis jam retro triginta ad messem *Anglicanam*, sive *Hibernicam*, sive *Scoticam* indifferenter: & memor mei muneris, obedientiæ & observantiæ in sedem Apostolicam, & cathedram S. *Petri*, loquar ad meum Dominum sanctitatem tuam de quibus adesse possum saluti animarum, & ecclesiæ *Hibernicæ* bono. Atque ad hoc me magis obligatum sentio, quòd dum tua sanctitas inter tot Ordinum Regularium Protectores, tot generales, tot procuratores, tot patronos ex omni statu & conditione hominum vivas: vix quicquam puræ, sinceræ, & defæcatæ veritatis ex tam remotis regionibus, & ultra montanis provinciis ad tuas aures pervenire permittitur: Hæc est enim principum virorum miseria, & calamitas, imo tam Ecclesiasticorum, quam politicorum, quod rara aure concipiunt partum quem noluna superstitem & vitalem, hoc est vix quicquam audiunt quod non gestant audire: tanta est parasitorum & assentatorum turba, qui nihil non magnum, nihil non glorioſum, nihil non apprimè gratum ingerunt vestris auribus quibus placere, rem una immortalitate minorem reputant.

Ea autem fuit institutio & educatio mea à primis annis quæ mecum una cum ætate crevit, uti pauperculus mallem cum philosopho vesci oleribus in hoc meo holiolo, quam cum *Aristippo* adulatorem in aula *Alexandri*

anglis & genialem vitam agere. Et quia te ſanctiſſimum Pontificem, vigilantiſſimum paſtorem, & veritatis amatorem, jam à multo tempore habuimus, non tam nos, quàm *Hibernicæ* eccleſiæ, imò quam tuæ intereſſe putabam, hæc non parva apud te querulari. Vt enim noſtrum eſt intimare, ſi non nævos, et leviores exceſſus noſtrorum fratrum, ſi quos charitas potius celare, quàm revelare jubet; at certe hæc tam deformia, tam monſtroſa, tam intolleranda, tam deſtructiva fidei, nullo modo tacere poſſumus, ne dum audemus. Nam ſi nos tacuerimus lapides forſitan clamabunt, imò intonabunt has abominationes in auribus veſtris. Sic rectum eſt ſancte patet, his morbis ſalutaria remedia adhibere, his vulneribus vinum et oleum infundere, hos motus ſævi maris compeſcere: hos arietes ad noxia paſcua poſſe trahentes gregem in ordinem reducere, aut ſi vocem veſtram minus audiant, à cætero corpore (eccleſiaſtico mucrone) recidere, ne pars ſincera trahatur. Hæc expectat eccleſia *Hibernica* à tanto paſtore regenda, refovenda, vindicanda, ampliandà. Et ſic princeps paſtorum ſit ſuo Vicario, et gregi in terris, de cœlo ſemper propitius: quorum poteſtatem in ſe, & ſua ſcripta agnoſcit lubens.

PAVLVS HARUISEVS *anglus.*

Maij 7. 1633.

Errata in nonnullis exemplaribus ſic corrigenda.

PAg. 10. lin. 1. *lege pra*, non *pro* pag. 19. lin. 31. pro *ſuſcuonet*, lege *ſuſurronet*, pag. 33. lin. 21. pro *a mio*, lege *eius*, pag. 57. lin. 9. pro 1628 lege 1618. pag. 75. lin. 9. pro *gis*, lege *gus*. pag. 93. lin. 4. pro *hæc imbecilla*, lege *hæc imbecillam*. pag. 94. lin. 6. pro *obligati*, lege *obligati*. pag. 41. lin. 18. pro *Viſa* lege *Viſa*. pag. 90. lin. 1. pro *Clodium*, lege *Clodium*. lib. 1. cap. 27. pro *præſcripſit*, lege *præſcripſit*. lib. 2. cap. 2. pro *deſumpta*, lege *deſumpto*.